EPHRAIMI GERHARDI

DELINEATIO PHILOSOPHIAE RATIONALIS

ECLECTICE EFFORMATAE ET VSVI SECVLI ACCOMMODATAE,

SIVE

DE INTELLECTVS HUMANI VSU ATQVE EMENDATIONE LIBRI DVO,

IN GRATIAM PRAELECTIONVM IN ACADEMIA IENENSI HABENDARVM

EDITI,

ACCESSIT OB SIMILITVDINEM ARGVMENTI

DISSERTATIO

DE

PRAECIPVIS SAPIENTIAE IMPEDIMENTIS.

IENAE,

Sumtibus HENRICI CHRIST. CRÖKERI.

1709.

LECTORI CVIVSQVE ORDINIS

S. P. D.

AVTOR.

Mirabuntur sine dubio multi, qui factum fuerit, quod & ego post tot libellorum logicorum myriades hasce meas cogitationes publico exponere iudicio non erubescam, cum neminem hactenus meae operae subierit desiderium. Neque possum etiam propositum animi multorum Patronorum eorumque mandatorum allegatione defendere,

quippe quod saepe & obscurissimi viri facere praetendunt. Interim concedent mihi aequi bonique rerum iudices eam libertatem, quam sibi ab aliis promittunt, quamque Reipublicae litterariae status vnicuique rerum intelligenti largitur. Inseruio studiis admodum studiosae Iuuentutis, semperque reperi vlterius tendentia ingenia, queis vltra litteratorum vulgus sapere, laborum scopus fuit. His aliorum cogitata plus vice simplici tradidi, neque hactenus me piget operae, quam in explicandis eruditissimis CHRISTIANI THOMASII, IO. FRANCISCI BVDDEI, & SAMVELIS GROSSERI praeceptionibus aliquot repetitis vicibus insumpsi. Interim diuersae sunt hominum cogitationes, etiam eorum quibus vna eademque eruditio pro fine est: imo dum aliorum placita expone-

ponere aggredimur, aliquando nostris cogitatis multum decedit roboris: nec solertissimus tam promptus erit alienarum quam propriarum meditationum Interpres. Praeterea totum informationis scholasticae pariter ac academicae negotium magna ex parte prudentiae est, nec regulis vniuersalibus regi vult, sed conuenienti obuenientium Circumstantiarum obseruatione absoluitur, & sicubi, certe hac in re dandum aliquid est tempori & ingeniis. Adeo plures fuerunt rationes, quae me hasce festinas cogitationes in publicum protrudere permouerunt, quibus si saltem Meis inseruire potero, sat magnum mihi constitutum erit laborum pretium. Eruditis, a quibus quotidie plura discere adhuc laboro, non scripsi, sed iis qui breui & non inficeta via ad saniorem philo-

ſophandi rationem perduci cupiunt. Pluribus placere velle magnam ſtultitiae praeſumtionem arguit, nec ſapientiae eſt omnium applauſum venari. Non poterunt omnibus placere quae ſcripſi, nec enim mihi ſemper placent, quae ab aliis proferuntur. Neque tanta eſt, vt videtur circa ſanioris logicae culturam elaborantium affluentia; ſapiunt qui poſſunt, & ſapientia omnibus patet, ſed non omnes debitas amant vias. Emendatum eſt multum priſtini mali, ſed vero meretur vlterius perfici inſtitutum nobile. Contra innumerum pro pedantiſmo & ineptiis pugnantium logicorum numerum, non ſufficit vnicus nec alter, ſed licebit & pluribus pugnare. Dum diuerſis, inſtrumentis, diuerſa via idem facimus, nemo alteri inter ſaniores impedimento eſt, ſed omnes manebit

iuſtum

iustum laboris praemium. Communes adhuc sunt ineptiae, vulgares notandi defectus, qui, quantum ego scio, non multis hactenus in locis exulant: nec omnes scholae, sunt scholae rationis. Subiiciam pauca quae notaui reliqui adhuc defectus in studio logico indicia: forte aliis obseruata restant alia. Ni fallor, sanior logica debet ostendere vsum atque emendationem rationis humanae: huc an omnia in vulgari institutione quadrent, aliorum esto iudicium. Certe, si logica intellectum emendat; finis eius non erit alius quam eruditio: quid vero sentiendum est de disciplina finem suum ignorante. Fuit sat diu talis vulgaris logica nec adeo vbique clari sunt eruditionis conceptus. Eodem modo doctrina de intellectu humano eiusque operationibus persunctorie

admodum fuit tractata, vt videas logicae tyrones logicam ad vnguem tenentes memoria & tamen praecipuas mentis suae ignorantes functiones. Intellectus, vt constans fama est, iudicio, ingenio atque memoria absoluitur, at vero in quot libellis horum natura ostensa apparet distinctius? Debebat logica praecipue iudicium atque ingenium perficere, sed tamen singulorum ad inuicem declarare habitudinem. Ast res inuersa fuit, & de egregio laborum fructu sibi gratulatur plurimorum doctissimorum praeceptorum simplicitas, si tyrones philosophiae rationalis veterum crepundia, & notiones dialecticas cum strepitu promant e memoria: si barbara celarent, quae ca vel hyp., asserit a negat e, & alia tantorum ingeniorum inuenta coram examinis

nis Auditoribus decantentur: si vsum quaeras; altum erit silentium, si ingenium respicias; obtunditur potius quam iuuatur: De iudicio vero nil dicam, cum commune sectariae philosophiae iudicium respuat veri studiosum discentium iudicium. Neque scrutinium ingeniorum commemorabo, cuius vix centesimus recordatur. Sunt, qui hic paulo saniori incedunt via, quique continuo, vt loquuntur, discursu discentium iudicio pariter ac ingenio subueniunt, nec culpandum est studium, cum temporis consuetudo vix aliud ferat. Sed: deficit interim, quae primas hic partes ferre debebat, exercitatio: & audita prolataque auolant, antequam concoquantur: aut si qui ad praxin deducantur; totum negotium thematis logici elaboratione, & aliquot syllogismorum structura

absoluitur. De methodo cogitandi, veritatem inuestigandi, diiudicandi, communicandi, ex aliis hauriendi, confutandi errores, medicinam morbis intellectus praescribendi, tantum loquuntur, quantum pisces. Sunt qui notissimum praeiudiciorum nomen horrent, & pene haereseos crimen apud multos metuendum erit: si dicamus morborum intellectus originem paulo curatius esse detegendam. Adeo processerunt augmenta philosophiae rationalis, vt vtique nimia saniorum libellorum logicorum copia metuenda veniat. Imo est, praecipue autem illis, qui antiquiorum temporum ineptiis immori dulce putant. Reliqui recentiora cogitata non damnabunt, sed sicubi erratum sit; meliora, vt feret occasio, dare laborabunt. Ego nil offero, nisi

nisi breues philosophiae rationalis positiones, quae vt spero, suis nituntur fundamentis, suo constant ordine, nec facile materias vtiles praetereunt: adeoque minimum ex parte commemoratis defectibus medelam afferendi occasionem subministrabunt. Scopus scribendi legem dixit, nec itaque vltra hos terminos aequi Rerum iudices suum extendent arbitrium. Methodum ex arbitrio meo legi, quae tamen naturae rei, vt spero, non repugnabit: quantum ad rem ipsam attinet, nullius nomen fero, in nullius verba Magistri iuro, nec ab aliis petii, quae omnibus largitur ratio. Interim non sum adeo suffenus, vt me sine praeceptore profecisse, & nescio quid non intactae veritatis detexisse existimem. Inter scribendum saltem abstinui a librorum

euolutione, & propriis cogitationibus liberum reliqui gradum: Caeterum norunt, qui me audiuerunt, quantum aliorum industriae tribuam, & quantum me doctorum Virorum hac in re curis debere semper profitear. Sunt quorum exempla, sunt quorum praecepta iuuant, nec ego me vlla in parte primum fuisse recordor. Notarunt defectus commemoratos alii, notatosque coram Auditoribus sincere emendarunt: quos inter celeberrimorum Virorum TREVNERI, STRUVII, atque IOCHII in alma Salana nostra exempla mihi praecipue ad paria facienda calcar addiderunt. Erunt & alii vt credo, qui similia sequuntur instituta, & quorum laboribus mea cogitatione nunquam officiam. De caetero ex antiquioribus non neglexi ARISTOTELIS, certe

te acutisſimi viri, pariterque EPICVRI huc facientia philoſophemata. Neque logices renaſcentis reſtauratores NIZOLIVM, VIVEM, MELANCHTHONEM, ac PETRVM RAMVM inſuper habui. Plura tamen & magis vtilia recentiorum debebo ſcriptis, quorum praeceptionibus ab ineunte ſtudiorum meorum ratione ſtudioſe collatis & meae paulatim adoleuerunt. Eminet hos inter Illuſtris THOMASIVS ICtus, cuius prudentia cogitandi mihi olim primas cogitandi vias oſtendit. Neque praetereundus eſt RENATVS des CARTES cum ſequacibus IO. CLAVBERGIO, LE GRAND, IENSIO, & celebratisſimae Artis cogitandi AVTORE. Medicinam quoque mentis Dn. de TSCHIRNHAVSEN medicinam intellectui aliquando attuliſſe non disſimulo: quemadmodum

& CHRISTIANI VVEISII, IO. SCHILTERI, & IO. BATERI, opera me cum fructu visum fuisse recordo. Vltimo tempore IO. CLERICI, LOCKII, TITII atque PROELEI, & qui primo loco mihi nominandus erat Venerandi nostri BVDDEI praeceptiones facem praetulerunt. His visus Magistris, praeparaui animum, vt aliquando & ego aliorum intellectui facem praeferre possem. Si quid peccatum est, illud a me non alienum puto. Si vero quidpiam ad commune bonum redundare exinde posset vtilitatis; id omne ego ad eos referendum puto, quorum exemplis vel consiliis adiutus fui. Vale & conatibus meis veri bonique amantibus faue. Dabam e Museo Ienae. A. MDCC IX. d. XV. Aprilis.

DELI-

DELINEATIO PHILOSOPHIAE RATIONALIS

ELECTICE EFFORMATAE ET SECVLI VSVI ACCOMMODATAE.

LIBER I.

De

Conceptibus logicis communibus.

CAPVT I.

De

Eruditione generatim.

1.

Omne quod hominis ingenio disci potest, non male eruditio audit: quod illa hominem e ruditate naturali eruat, atque ad maiorem perfectionem deducat.

2. Dicitur eadem & sapientia, quatenus scilicet menti non ab aliis inculcatur, sed per seipsam innotescit: vnde quo indifferant eruditio & sapientia constare potest.

3. Conueniunt autem fundamentis: vtraque enim docere debet, quae bona, sint, quaeue mala: quod bona sint eligenda, mala euitanda.

4. Eodem modo quoque differunt ab inuicem & conueniunt ruditas & stultitia: quarum illa eruditioni, haec sapientiae opponitur.

Ingeniose de hac materia philosophatur IO. AMOS COMENIVS in ianua rerum reserata cap. II. de sapientia: quid sit illa, & quomodo comparetur.

5. Eruditionis autem pars recte habetur logica, hinc vt partem eo tutius queamus speculari, prius totum hoc in loco ob oculos reuocabimus.

Fecit idem ante nos Illustris THOMASIVS in Introd. ad doctrinam rationis part. I. c I. partim quia rem hoc loco non indignam iudicabat, partim quia hoc modo aliorum neglectus supplendus erat. Hinc censuram miscuit Dn. D. TITIVS in arte cog. cap. XVIII. §. LVII. qui indolem eruditionis exponere circa peculiare a cogitationibus humanis obiectum occupari existimauit. Sed quid si dicamus, erudi-

eruditionem esse cogitationum humanarum perfectionem, adeoque non immerito ad artem cogitandi referri: imo esse finem vltimum, doctrinae rationalis: quid enim perceptio veritatis genuina, quam logica quaerit, intendit aliud, quam eruditionem sanam & veram? Et praeter haec sufficit bonam cogitandi methodum a generalibus ad specialia, a toto ad partes istius procedere.

6. Sumitur hic vox eruditionis, non prout natura eius rerumque postulat, sed quatenus apud nos communissime supponi solet, vnde ab artibus mechanicis distinguitur ad rem litterariam pure translata.

Non metuo censuram pseudonymi REALIS DE VIENNA, qui in discursibus ad C. THOMASII Introd. ad phil. aul. ad cap. II. §. XXVI. p. 33. ait: Veram philosophiam rem definire, non vt vulgo supponitur, non ex vsu, sed veritate. Sed vero aliud est definire res: aliud voces rebus applicare, de quibus mihi alia arridet regula: Verus philosophus intelligi vult, hinc loquitur vt intelligi possit cum vulgo & ex vsu loquendi; neutiquam vero de stulta singularium vocum captura atque affectatione ingenio suo gratulatur.

7. Est itaque eruditio partim doctrina, partim habitus, prout diuersimode consideratur, in eoque conuenit cum omnibus artibus mechanicis.

8. Priori modo considerata definitur doctrina dirigens cogitationes hominum circa acquirendam conseruandamque eorundem felicitatem.

Scepticus Germanus quidam negat: conditionem definiri posse, quia nescimus, quid sit anima, quod idem videtur ac si dicerem: baculum rectoralem generatim definiri non posse, nisi sciamus quot puerulis ille sit applicandus. vid. unvorgreifl. *Concept.* von der Gelehrsamkeit.

9. Posteriori est habitus recte vtendi intellectu circa acquirendam conseruandamque hominum felicitatem.

Prior significatus etymologicus est & naturam eiusdem satis explicat: posterior vero vsualis & popularis est, hinc nec eodem plane carere possumus quod cum cura obseruauit doctissimus Gissensium philosophus IO. CHRISTIAN LANGE in protheoria eruditionis humanae vniuersae. cap. II. n. XVI. XVII. sqq. conf. THOMASIVS in introd. ad doctrinam rationis c. I. Confundit vero hos diuersos significatus Autor Anonymus des unvorgreiflichen *Concepts* von der Gelehrsamkeit *contra Dn. THOMASII Introduct. log. a. 1697. publicati §. 10. 11. Nos sic: eruditionis sedes est in intellectu siue cerebro: applicatio eius tangit quoque ope Intellectus voluntatem.*

10. In

10. In eo quod cogitationes dirigere dicitur, differt a reliquis notitiis, quae hominum manus, pedes, oculos, aures &c. dirigunt, quas vulgo sellularias vocant, quasque eruditionis studioso non contemnendas puto, sed tantum a conceptu hactenus consueto separo.

11. Quod autem omnis eruditionis finis ad felicitatem humani generis pertineat tralatitium est, & ex ipsa gratiosa Numinis essentia, quatenus illa hominibus sub amoris idea innotescit pendet, inferiusque pluribus demonstrabitur.

12. Consistit haec felicitas ex communi sensu, in vita humanae naturae conuenienti.

13. Vnde Ille demum recte sibi de felicitate gratulatur, qui viribus propriae & communis naturae siue essentiae recte vti fruique nouit.

14. Vsus debitus naturae propriae & communis consistit in conseruatione & vsurpatione commoda naturae tum communis tum propriae.

15. Atque hoc ipso bonum honestatis, vtilitatis & iucunditatis comprehenditur: omne enim, quod debito modo naturae humanae conseruationem durationemque intendit illud & honestum & vtile & iucundum existit.

16. Vti autem natura humana vel interne vel externe considerari potest; ita hinc quoque duplex enascitur felicitas partim interna, partim externa.

17. Consideratur porro vel in communi, vel in indiuiduo adeo vt felicitas etiam siue vniuerso humano generi, siue certo cuidam eius socio competat.

18. Si vltra rationis terminos transire licet, duplex concipienda est hominis vita: praesens, quae finem prospicit, futura, quae nunquam erit terminanda. Inde felicitas hominis est vel temporaria, vel aeterna.

19. Imo & interna felicitas duplici modo concipi potest, si duas animae humanae facultates inferius pluribus declarandas respicias, vt alia sit felicitas intellectus, alia voluntatis.

20. Denique felicitas vel conseruatur & defenditur, vel promouetur augeturque: illud necessitatis, hoc commoditatis officium est: idque vel vere, vel apparenter.

21. Promouetur conseruaturque autem vel immediate vel mediate, vel directe vel indirecte felicitas humana, prout conseruationis media vel per se, vel per alia cum fine connectuntur.

22. Atque in vniuersum tot sunt eruditionis partes, quot felicitatis existunt species:

ſpecies: ſiquidem natura rerum poſtulat vt media ex fine, non finis e mediis, iudicentur.

23. Hinc eruditio I. eſt vel inſtrumentalis, quae mediate & indirecte, vel principalis, quae immediate & directo circa hominis felicitatèm occupatur.

In verbis ſequor Ariſtotelem eiusque ſequaces, ſed alio tamen ſenſu: cum ille ſub principali, & theoreticam philoſophiae partem falſo ductus contemplationis amore comprehendat quae mihi non niſi inſtrumenti loco venit, cum naturam hominis non contemplationem ſed actionem pro felicitatis fundamento habeat, & praeterea experientia doceat homines ad ſenſum ſtultiſſimos bono contemplationis ſat feliciter vti quandoque. Conf. quae Illuſtris THOMASIVS diſſerit in Introd. ad Doctrinam moralem c. II. §. 43. 44. ſqq. Bene agimus vt felices ſiamus: recte ſpeculamur vt bene agamus: omnis diuerſus ſpeculationis finis vel ad delectationes indifferentes, vel ad Inſipientiam pertinet.

24. *Illa* neceſſaria non per ſe, ſed propter alias diſciplinas, *haec* ſecus: *illa* eſt hominum eruditionis titulis ſuperbientium, *haec* omnium hominum, queis ratio data eſt: *Illa* ſine applicatione eſt res mortua, *haec* ipſa applicatio eſt: In *illa* ſola conſeneſcere ſtultitiae, in *hac* vitam finire ſapientiae & felicitatis eſt.

25. Pertinent ad illam omnes disci-plinae, quas propter vsum in reliquis addi-scimus: quaeque non tam vitae quam scholae esse existimantur: Grammatica, Rhetorica, Poesis, Historia, Pars Matheseos & si quae aliae ingenium mentemque hu-manam non perficiunt sed praeparant.

26. Porro II. eruditio est vel neces-saria sine qua humana vita consistere neuti-quam potest: vel vtilis tantum, quae com-modiorem vitae rationem solummodo re-spicit.

27. Hac aliquando homines sine pe-riculo carent: illa non aeque: haec ali-quando luxui affectibusque inseruit, quos illa coercet: Illa ad bona, haec ad indiffe-rentia vel bona minora referenda.

28. Illuc omnes viuendi regulae, quas vera Theologia siue Iurisprudentia natura-lis, siue Ethica praescribit pertinent, quippe quibus nec rusticus indigere potest: aliae vero disciplinae ad distinctam classem per-tinebunt.

29. Sunt qui III. inter eruditionem veram & falsam, vel etiam solidam & super-ficiariam distinguunt; aliis contrasentien-tibus, cum falsa eruditio illud nominis non mereatur. Verum nil impedit, fallens enim splendor est etiam splendor. Voco autem eam veram, quae vere felicitatem conseruare

vel

vel augere apta est: falsam quae facere praesumit. Solida mihi est, quae firmo fundamento & bono fine nititur: superficiaria quae nubem, pro Iunone amplectitur, & coruos hiantes decipit.

Aliter paululum procedit PETRVS POIRET de Erud. sol. L. I. part. I. p. m. 4. 5. solidam veramque coniungens, sed facillime iste locus mecum conciliari posset: nisi POIRETTVS inferius Eruditionem eiusdemque effectum sapientiam miscere videretur & modo vocabulo eruditionis pro doctrina, modo pro habitu vteretur. De caetero ea quae contra POIRETTVM disputari possent ambiguitatem vocis solidae & verae attinent quo perme vt velit vtatur: sufficit me loqui ex vsu communi, illum vero plane nouam vocum quotidianarum sensum comminisci. Interim sequitur ipsum IOACHIMVS LANGIVS ac declarare nititur in Medic. ment. Part. V. c. II.

30. Vera & solida omnibus conatibus expetenda manet: oppositae cognoscendae, imo & vsurpandae quandoque vbi res postulat; sed non fouendae.

31. Vagantur hae ipsae per omnem disciplinarum ambitum. Omnis homo mendax, nec a quoquam errare alienum est: Et Theologus, & ICtus, & Medicus, & Philosophus, & Rhetor sunt etiam aliquando Poetae. Somnia grauius sentiunt,

qui videntur eruditi, quam rusticus, qui delassati corporis membra durae inclinat terrae. Nil magis fallax est quam opinio, qua mundus regitur. conf. D. IO. BALTH. SCHVPPIVS *in orat. de opinione.*

32. Pertinet IV. huc quoque distinctio superius facta, inter eruditionem theoreticam & practicam: illa Intellectus sanitatem quaerit: haec voluntatem circa actionem boni format.

33. Hanc maxime necessariam esse docet: quod sine honestate, vtilitate & iucunditate nulla beatitudo concipi queat: illam non aeque necessariam, sed tamen colendam existimo: Qui bene viuit & male cogitat beatus quidem esse potest, sed raro est: Hinc cogitare discamus, quo possimus viuere.

34. Atque hinc apparet: quomodo Logica, Physica, &c. a practicis distent doctrinis: apparet quid antiquis scientiae prudentiaeque nomine venerit: Illumque demum eruditum recte vocari non qui benefacit & male cogitat: nec qui bene cogitat & male viuit, sed qui & bene viuit & recte cogitat.

34. Distinguerem V. inter eruditionem diuinam & humanam, nisi iam philosophiae cancellis me continere deberem.

35. Hu-

35. Humana VI. autem, quae temporaria respicit est doctrina boni vel interni vel externi, partim necessarii partim vtilis; de quibus est Regula: quae doctrina bonum sectatur praestantius illa & ipsa est praestantior.

36. Hinc pendet pretium eruditionis partibus constituendum, quae licet vitilitigia proedrias non curent, diuersa tamen aestimatione sapientibus veniunt.

37. Denique VII. eruditio est vel totalis vel partialis: illa est nexus omnium doctrinarum ad felicitatem humanam pertinentium: haec est leue artificium vel ostentationi vel pani lucrando paratum. Illa demum solida & vera haec superficiaria & falsa.

38. Posses praeterea partiri eruditionem in eam, quae memoriae, iudicii, & ingenii est, item in certam probabilem & dubiam, sed nolo anticipare, quae infra commodo magis loco declaranda erunt.

39. Vides interim ex dictis, quid sentiendum sit de diuisione IV. facultatum, quam etsi tolerandam existimo, non possum tamen, quin eam & solido fundamento destitutam, & confusis conceptibus formandis aptam, & verae sapientiae infestam iudicem. conf. quae dixi in *diss. de nonnullis sapientiae impedimentis, §. XX.*

40. Vt

40. Vt tamen aliqua conſtet differentiae ratio, notari poteſt: Theologiam eſſe partem eruditionis circa hominis felicitatem aeternam, Iurisprudentiam circa externam bonorum, quae fortunae tribuuntur, Medicinam circa ſanitatem corporis occupatam, philoſophiam vero rectitudinem internam intellectus & voluntatis earumque externam applicationem regere: atque de hac tractare noſtrae videtur eſſe operae. *conf. Dn. THOMASIVS de prud. cogitandi. c. II. §. 26. ſqq.*

Hic Iurisprudentiae nemo praeter REALEM DE VIENNA controuerſiam mouet, qui illi tantum diſciplinam externam concedit, contra Vmbram militans & ex veſana contradicendi libidine pro ſalute hominis, ſalutem animae ſubſtituens in diſcurſ. ad THOMAS. prud. cog. c. II. §. 30. p. 34.

CAP. II.

De
Philoſophia generatim.

I.

PHiloſophiae nomen ſi ſpectes origine graecum & compoſitae eſt naturae cuius Autorem PYTHAGORAM referunt CICERO *L. v. tuſc.* *qu.*

qu. p. m. 487. IACOBVS THOMASIVS *progr. LV. de vocabulo philosophiae.*

2. Vtrum is hoc nomine ex humilitatis amore vſus fuerit, an ſaltem eius laudem affectauerit, vel etiam, vt ab aliis Artificibus ſecerneretur Amator ſapientiae audire voluerit noſtra parum refert. vid. interim IO. SCHEFFERVS *de philoſ. ital. c. VI. p. 34.*

3. Si vſum reſpicias, variis obnoxium illud eſt acceptionibus, de quibus vid. IACOBVS THOMASIVS *in Origg hiſt. philoſ. ſub init.* & CHRISTIANVS THOMASIVS *in Introd. ad philoſ. aul. c. II. §. 22.*

4. Latisſime ſumitur pro omni ſapientia, cuiuscunque generis ſit, quod inprimis antiquis frequentisſimum eſt.

5. Aliquando illas ſaltem eruditionis partes notat, quae vi naturalis luminis ab homine percipiuntur.

6. Nec infrequens eſt, vt de reliquis omnibus diſciplinis, quae Theologiae, Iurisprudentiae & Medicinae opponuntur, dicatur, ita vt & artes liberales ſub ſe comprehendat: qui ſignificatus noſtris moribus in Academiis receptus eſt.

7. Aliqui ſoli Metaphyſicae ſcholaſticae, quam colunt, & Reginam ſcientiarum venerantur, hoc nomen vindicant: forte quia illa amica quidem ſapientiae, ſed non ſapientiae pars eſt.

8. Ego

8. Ego ea nuncupatione strictius vtor, scilicet quatenus & a facultatibus, quas dicunt, superioribus, & ab artibus liberalibus separatur.

9. Quod rem ipsam attinet: Philosophia est doctrina siue pars eruditionis, scilicet si in abstracto, & non quatenus in mente concipitur consideretur.

10. Est doctrina tradens notitiam, habitualem modo certam & apodicticam, modo probabilem tantum, modo viuam & affectiuam, modo mortuam & cerebrinam.

11. Tradens notitiam rerum, non tantum entium rationis & notionum secundarum.

Si in his consumere iuberet operam vocabularium esset non iusta disciplina: fuit autem tale quid satis diu. rectius SENECA Ep. 16. inquit: non in verbis sed in rebus est.

12. Innotescit haec notitia non nisi mediis homini naturalibus per rationem, quae vi ac potestate intellectus actiui res considerat ac confert, ideas inde ope sensionum perceptas colligit, & cum principiis generalibus veritatis connectit.

Non ex scriptura diuinitus reuelata, quippe quae Theologiae fundamentum est; & singularia Numinis mysteria tangit. hinc remouit Confusam illam philosophandi rationem, quae sacri non-

nonnullis visa est, THOMASIVS *in introd. ad philos. aul. cap. II. §. 32. seqq.*

13. Denique notitia haec rerum per rationem cognitarum vltimo hominis felicitatem quaerit: alias enim esset ignis frigidus.

14. Felicitas vero illa temporaria hic intelligitur, cum aeternam ignoret ratio per ea quae dixi superius.

15. Vno verbo: Philosophia est doctrina tradens notitiam, amorem vsumque rerum natura cognoscibilium, & ad humanam felicitatem pertinentium.

16. Aut si mauis est illa antiquis laudata sapientia, quam *CICERO L. II. off. c. II.*, rerum diuinarum & humanarum, causarumque quibus hae res continentur, scientiam, vocat. conf. *SCHEFFERVS de philos. ital. c. VI.*

17. Atque hinc facile erit iudicatu, quid de iis habendum sit, qui philosophiae studium vt inutile, alto supercilio contemnunt.

18. Imo referas & huc eos, qui sancta simplicitate illam Theologiae reuelatae studio si non noxiam, saltim inutilem censent.

19. Nec minori mentis aegritudine laborant, qui eius vtilitatem tantum in ser-

uitio superioribus facultatibus exhibendo quaerunt.

Communis haec est opinio, sed ex fine indicato hoc nihil obstante stulta apparet. Philosophia ipsa felicitatem humanam acquirit, conseruat, promouet augetque. Non est ancilla siue Theologiae siue Iurisprudentiae aut Medicinae sed soror, imo potius mater vnius dicenda. Parat equidem ex parte ad istas viam, sed & ipsa mentem perficit, & ad beatitudinem ducit. Interim communis persuasio plures a solidae eruditionis cognitione alienat, qui nullam nisi mercenariam eius vtilitatem praedicari audiunt. conf. REALIS DE VIENNA *l. c. p* 40. 41. *& diss. nostra de sapientiae impedimentis.*

20. Partes speciesque philosophiae eaedem pene sunt, quae eruditionis. Praecipue inter instrumentalem & principalem distinguunt.

21. Et ob eandem rationem diuidenda quoque est in theoreticam & practicam.

Coincidit cum hac partitione Philosophiae stoicae & platonicae nec non Epicureae distributio in rationalem, naturalem & moralem, de qua vid. CICERO, *Acad. quaest. L. I. &* SENECA *Epist.* LXXXIX.

22. Praeterea non tam accurationis quam cautionis gratia distingui oportere arbitror inter philosophiam veram ac genuinam,

nam, & falsam externo habitu sapientiae speciem mentientem.

23. Vt falsam caueas nota criterion: quaecunque doctrina ambitiosos mortalium animos deprimit, atque ad cognitionem miseriae humanae manuducit; illa ducit ad Deum & vera est philosophia.

24. E contrario, quaecunque doctrina hominem a cognitione suae miseriae abducit, illa ad spuriam pertinet sapientiam; conf. Apostolus IACOBVS *Ep. c. III. v. 15.* & BVDDEVS *in appendice Differtationum ad hist. philos. pertinentium.*

25. Distinguunt praeterea inter philosophiam nominalem & realem, sed ista vel instrumentalis vel inutilis est, adeoque ad spuriam pertinet.

26. Idem dicendum est, quando in sectariam & eclecticam dispescitur, cum omnis sanior doctrina sit eclectica.

Philosophia sectaria liberos minime decet homines. Omnia probare & bonum retinere iussit Paulus gentium Doctor: cui suffragatur quoque Ioannes. Non sumus sub Rege, sibi quisque se vindicat, inquit SENECA *Epist. XXXIII. conf. Epist. LXIV. & apprime placent verba celebris Theologi pariter & Philosophi* IO. AND. SCHMIDII *in physica post §. III. inquientis: Neminem sequere, & omnes id est in nullius verba Magistri iura, sed potius*

omnes euolue, & quae vera vel probabilia sun elige, & optimae philosophiae sectator eri conf. B. STVRMII diss. I. Tom. I. Philos Eclectic.

27. Caeterum est vel dogmatica, quae positiue sua dogmata stabilire nititur vel sceptica, quae in plurimis magis probabilitatem quam certitudinem venatur.

28. Vtraque vsum habet abusumque suum, cauendus itaque excessus, quorsum te vertas.

29. Merus dogmaticus si quidem in omnibus certam adquiri posse scientiam, putet, misere falletur haud dubie.

30. Merus scepticus quasi cum ratione insanit, & prae sapientia apparet fatuus. Medium tenuere beati.

31. Verae sapientiae studiosus sectatur cognitionem, vbi haberi potest: vbi haberi non potest modestè confitetur humanae mentis imbecillitatem, vtiturque iis, quae cognoscit ad suam aliorumque felicitatem.

32. Aut vt clarius habeas: Philosophus non fucatus quaerit veritatem, discitque quaerendo, dubitando, omnia probando viuere honeste, decore, vtiliter per philosophiam practicam; per theoreticam cognoscere hominem, mundum, Deum, per philosophiam instrumentalem ad illa men-

tem

tem praeparat vt recte sentiat, cogitet, ac ratiocinetur, id quod iam omnis huius tractationis scopus existit.

CAP. III.

De

Philosophia rationali speciatim.

1.

LOgica a ratione nomen habet: hanc enim formare, perficere, atque dirigere debet in cognoscenda, expendenda & communicanda veritate.

2. Nec incongrue dixit, qui dixit: Logicam tradere modum recte, & vt decet, vtendi ratione.

3. Cum autem veritatis gratia ratio homini data sit: inde ratione bene vtitur, qui cognoscit, expendit, & communicat veritatem.

4. Fiunt haec singula cogitatione: inde etiam logica quibusdam Ars cogitandi, scientia cogitationum cogitantium, & prudentia cogitandi dicitur.

5. Alii medicinam mentis vel potius intellectus appellant.

6. ARISTOTELES eam instrumentum instrumentorum id est primum & praecipuum eruditionis organon nuncupa-

uit, vnde & recentius Philoſophia inſtrumentalis vocatur.

7. COMENIVS, vt mihi videtur, congrue admodum artem diſcendi & docendi vocat: his enim & inuentio & communicatio diiudicatioque veritatis abſoluitur.

8. Nec male quidam Cynoſuram mentis, normam cogitationum, lucemque mentium praedicant.

9. Artem ſciendi vel bene ratiocinandi non dixerim, licet ita habeat IO. CLERICVS *in Praef. Log.* non enim omnis cognitio, nedum communicatio ſola ratiocinatione abſoluitur, quod infra patebit clarius.

10. Multo minus cum PETRI RAMI aſſeclis artem diſſerendi vocandam arbitror: non enim loquentiae neque eloquentiae ſed cognitionis diſciplina eſt.

12. Vera logica non in verbis ſed in rebus eſt, vt optime CLERICVS monuit l. c. hinc vano dialecticae nomine quoque non abſoluitur.

13. Nec illi rem exprimunt, qui artem conficiendi ſyllogiſmum dicunt: ſincere & recte quidem, ſi agunt de ſcholaſticorum crepundiis: neutiquam, ſi rem ipſam reſpicias.

14. Interim non diſputo, ſiue quis eandem vel ſcientiam, vel habitum effectiuum vel inſtrumentalem, ſeu artem ſiue

ſcien-

scientiam de prudentia, & nescio quid non dicere velit: cur enim circa voces haereamus, qui superius philosophiam notitiam rerum tradere inculcauimus.

15. Quisque loquatur vt lubet, mihi logica est doctrina seu synthesis cogitationum plurium iusto nexu cohaerentium.

16. Eaque doctrina certa est suisque constat principiis: quod videbimus in sequenti tractatione: patet vero & inde, quod certitudinis criteria tradere debeat; hoc vero frustra conaretur, si de illis criteriis certa esse non possit.

17. Ex his principiis tradit modum veritatem, id est harmoniam idearum & rerum menti repraesentandi vel cognoscendi.

18. Cognoscimus autem eam vel sensus perceptione, idque partim interne partim externe: vel rationis siue intellectus actiui conceptione & ratiocinatione.

19. Tradit quoque modum verum a falso, verosimili, dubio & incognito diiudicandi, sine quo nempe omnis ratiocinatio vana esset.

20. Denique tradit modum communicandi & coram aliis exponendi veritatem cognitam.

Finis enim rationis cum non tantum sit scire sed & scientiam suam aliis impertiri posse:

necessario doctrina rationis, quaeque de huius cultura vnice vel primario praecipit, omnia eius negotia & consequenter etiam communicationem veritatis dirigere debet. Nec officiunt quid monita celeberrimi Dn. D. TITII in arte cogit. §. LXI. LXII. LXIII. Neque enim sub regulis communicandi veritatem regulas vel iusti vel prudentiae stricte dictae intelligo: sed conclusiones ex principiis generalissimis logicis ad praxin applicatas: quod & ipse TITIVS non potuit diffiteri, dum methodo generalem in logica sedem, nec non diiudicandae veritati regulas generales logicas largitur: nil enim aliud intelligitur hic quam conclusiones spetialiores ex generalibus ratione vtendi regulis fluentes, & ad negotiorum logicorum exercitium applicatae; & nisi hoc esset, contra propriam peccaret ille censuram, qui disputationis regulas in arte cogitandi tradidit, quarum certe non alia est natura, ac illorum quae ad docendum animum formant. Nec aliter has concipit Dn. THOMASIVS in philos. aul. c. XII. & XIV. & Ausübung der Vernunfft-Lehre *c. II. & IV. licet ob aliud institutum tunc temporis iustitiae & prudentiae regulae aliquando obiter fuerint commemoratae. Vnde nescio contra quem Dn. TITII censura militare debeat.*

21. Est itaque logica disciplina cognoscendi, diiudicandi & communicandi veritatem.

Con-

Conspicitur hinc quae sit doctrinae rationalis utilitas, quam qui negat, ille rationem vel non velle nec posse sine dubio censendus est. Interim negant illam plurimi: alii simplici pietatis praesumtione, alii stulta Eruditionis propriae opinione ducti. Illi aut de nominalibus quae in subsellis scholasticis olim sibi inculcari passi sunt, loquuntur logica: aut omni rationi bellum inferre animo conceperunt: hos inter eminet personatus REALIS DE VIENNA, qui in stricturis ad Philosophiam aulicam THOMASIANAM id sibi negotii solum dedit, ut a studio logices alienaret Eruditos, forte, quod dein Phantasiae suae mirabiles errores se venditare posse crederet, si prius Eruditi renuntiassent rationis culturae.

22. Interest fane omnium hominum, vt veritatis inuestigatio, diiudicatio & communicatio maneat peruia.

23. Et qua quaeso re studiosus litteratum periculosius careat, quam arte discendi & docendi, quibus tota eius vita absoluitur.

24. Nec metuendum est, vt tantum intra discentiae annos se contineat eiusdem vsus: vera & genuina logica non scholae sed Vitae discitur. Ineptias didicimus in spem futurae obliuionis: ratio sciendi docendique per omnem vitam se diffundit.

25. Verae logicae officium est vsum sensuum nostrorum dirigere.

26. Debet & ordinare ideas & eos quos habemus in mente, conceptus.

27. Debet instruere rectae ratiocinationis fundamenta.

28. Aberrantis imaginationis extrauagantias illa coercet.

29. Ab erroribus & priuat & cauere docet.

30. Vbertatem materiarum cogitationibus per artem inueniendi, quam docet, subministrat.

31. Docet porro aliorum cogitata legere, intelligere, excerpere, diiudicare, examinare atque explanare.

32. Cogitationibus ordinem, Ingenio terminos, memoriae subsidia praescribit.

33. Cogitata quomodo proferenda sint docet: & quomodo a veritate aliena remouere oporteat, declarat.

34. Iuuat itaque discentem & docentem, audientem non minus ac loquentem; Oratorem, Poetam, Grammaticum, Criticumque, quippe quibus perspicuas coniectandi rationes ostendit.

Artem coniectandi praecipuam verae Criticae partem esse, confitentur omnes: haec autem rationis cogitatis vtitur, quae a genuina logica diriguntur. vid. LE CLERCK Parrhas. Tom. I. p. 359 -- 365.

35. Iu-

35. Iuuat logica nostra Physicum Medicumque Inquisitorem, Metaphysicum speculatorem, Ethicum virtutis sectatorem.

36. Vtitur illa ICtus in intelligendis legibus, in inuestiganda iuris naturalis ratione, in exquirendis delinquentium vel clientum arcanis, in deducenda innocentia, in probanda rei veritate, in confutandis Aduersarii cauillationibus, imo vniuerso ICti officio.

37. Nec Theologus sine subsidiis hermeneuticis Dei verbum intelliget, quippe quod vel maxime rationale est, vtut mysteria, quae in eo occurrunt, ratio sibi relicta non adaequatur.

38. Nec sine cogitandi arbitrio nexus sanioris doctrinae concipi potest.

39. Sine illa pro concione non docebit sed clamabit, blaterabit, ex tempore quaesitus vel timebit vel silebit: aduersariorum tela non introspiciet nec euitabit, eritque Doctor sine methodo, homo sine ratione.

40. Atque haec quidem logica, quem produco non promittit tantum, sed praestabit etiam, & tunc iure suo instrumentum Instrumentorum siue totius Eruditionis vocabitur.

41. Caeterum patet ex dictis quae

eiusdem fint partes, de quibus cuilibet ordinandis arbitrium efto.

42. Mihi tria eius effe videntur officia cardinalia: Veritatis cognitio, diiudicatio, & communicatio.

43. Tamen generales quidam conceptus ex methodi regulis praemitti volunt, vt adeo pars alia generalis, alia fpecialis videatur conftituenda.

44. COMENIVS aliam partem facit matheticae fiue difcendi, aliam didacticae, fiue docendi artis.

45. THOMASIVS theoriam & praxin ab inuicem diftinguit.

46. BVDDEVS aliam logicam preffe dictam, aliam hermeneuticam, aliam didacticam effe vult: alii aliter, nobis perinde eft.

47. Vulgaris partitio, fecundum tres mentis operationes quamuis ratione non careat, infufficiens tamen eft & occafionem dedit oblitioni rerum maxime ad hoc negotium fpectantium.

48. Qui inter logicam docentem & vtentem diftinguunt, aut docentis nomine tricas & ineptias Scholafticas intelligunt, aut illam nominant, quae maiori cum accuratione illos decet, qui aliis hac in re facem praeferre laborant.

49. Ex

49. Ex posteriori vtens logica nil aliud erit, quam breuium praeceptorum distinctè perceptorum iusta applicatio.

50. Nobis, qui breuem & facilem sed accuratam quaerimus cogitandi methodum, haec differentia praeterri potest, qui docentem fundamenti loco substruimus vtenti h. e. quotidianae applicationi.

51. Coincidit pene cum hac ipsa diuisione, quando eandem in exotericam & acroamaticam dispescunt. Illa elementa prima tradit, haec iustam requirit accurationem.

52. Separant etiam ab inuicem, qui ARISTOTELEM imitantur, analyticam & dialecticam, quarum illa ad cognitionem certam, haec ad probabilem ducit.

53. Illa difficilior, sed praestantior: haec facilior sed & minoris soliditatis: Illa iudicii haec ingenii opus est.

54. Nos vtramque coniungendam putamus, nec distinctas disciplinas entia multiplicando comminiscimur: Veritas enim & verosimilitudo differunt non modo cognitionis, sed gradu: adeoque sat commode iunguntur.

55. CLAVBERGIVS geneticam & analyticam distinguit: illa modum formandi cogitationes, haec aliorum cogitata soluendi rationem ostendit.

56. Illa vtimur primario in discendo hac in docendo. Vtraque studioso Philosophiae necessaria existit.

Cap. IV.

De

Intellectu humano.

1.

Dictum est quod Logica formet ac dirigat intellectum, itaque prima logicae de intellectu est tractatio.

2. Hic alias equidem & ratio audit, sed vox est aequiuoca, quippe quae aliquando etiam simul voluntatem connotat, vnde forte insignes errores occasionem sumpserunt.

3. Nobis Intellectus est facultas mentis percipiendi ideas rerum, easque inuicem conferendi, collatasque vel coniungendi vel separandi, & nouas inde producendi.

4. Mens est altera hominis pars inuisibilis & spiritualis corpus eiusque motum operans, atque dirigens.

5. Dari talem praeter corpus visibile, motus celerrimi, qui intus contingunt, probant: nec concipi potest, quomodo crassa

sa humani corporis materia sine tali motore agere queat.

6. Materia enim etiam ex Cartesianorum confessione natura sua, non agit sed patitur. conf. Illustris *THOMASII* Versuch vom Wesen des Geistes. *c. II. & III.*

7. Interim essentia mentis humanae mentem ipsam fugit, nec alio modo, quam ex operationibus & a posteriori, vt loquuntur, cognoscitur.

8. Et inde etiam cognoscitur: mentem duplici gaudere facultate intus in corpore agente: intellectus vna; altera voluntatis.

9. Intellectus definitionem exhibet *pos. 3.* Voluntas vero est facultas res ab intellectu repraesentatas vel appetendi vel auersandi.

10. Breuius: Intellectus est facultas cogitans: Voluntas facultas desiderans.

11. Motus autem Intellectus, quod suus quemque sensus docere potest, primario est in cerebro, voluntatis in corde.

12. Inde philosophia popularis non dicit: nos corde cogitare sed capite, non dicit: nos capite amare vel odisse sed corde.

13. Intellectus itaque res, quae obueniunt, considerat, Voluntas appetit vel auersatur, iisque fruitur vel dolet.

14. Ille quoad rerum exiſtentiam neceſſario ſemper praecedit, Voluntas ſequitur.

15. Aliter circa affectiones rerum, vbi ſaepiſſime praecedit voluntas: intellectus praepoſtere ſequitur: hinc prouerbia: amorem coecum eſſe, affectus priuare ratione.

16. Patet quoque: Intellectum non adeo eſſe corruptionis humanae cauſam ac voluntatem.

17. Eſt tamen vtraque facultas corrupta, & hinc vtraque emendatione indiget. Illius correctioni eruditio theretica, huius practica inſeruit.

18. De caetero vtraque mouetur & mouet, & agit & patitur, vnde intellectus aliquando actiuus aliquando paſſiuus vocatur, & voluntati modo inclinationes, modo paſſiones tribuuntur.

Pluribus de his quaeſtionibus egi exprofeſſo, im unvorgreiflichen Begrieff vom Verſtande und Willen. *Cum quibus conf. Dn. M. BOETTNERS diſſ. de emendatione mentis humanae ab intellectu inchoanda. & M. MVSIG de cauſis errorum in voluntate quaerendis.*

19. Moueri & pati illud dico, quando facultas a rebus externis motum recipit: mouere & agere eſt, cum facultas ex ſe producit motum in res externas.

20. Quae-

20. Quaelibet facultas in relatione ad alteram est res externa, licet alio sensu vtraque sit interna.

21. Vtraque agit in corpore, quomodo extra illud dum viuimus, vix percipimus.

22. Vtraque agit aliquando cum corpore, aliquando sine corpore.

23. Vtraque Philosophiae obiectum (quod operationis vocant) existit: Voluntas ethicae, Intellectus logicae.

24. Motus intellectus tum actiuus tum passiuus consistit in cogitatione, quo vocabulo modo latius modo strictius vtuntur.

25. Cum late, significantur omnes quotquot concipi possunt intellectus operationes, ita vt & sensiones simul comprehendantur.

26. Stricte vero denotat coagitationem idearum siue ratiocinationem, quatenus a sensione distinguitur.

Hoc sensu vtitur vocabulo Dn. THOMASIVS in der Einleitung zur Vernunfft-Lehre. *c. III. §. 22. & in prud. cog. III. §. 35. a quo dissentire voluit Dn. D. TITIVS in art. cog. c. II. §. 18. Verum si obserues, quod diximus, omnis lis est in vocibus, in quibus faciles esse decet philosophos.*

27. Dum nos intuemur, Intellectus vel ad res extra ipsum existentes vel in se ipsum reflectitur.

28. Quando intuetur scipsum cogitatio, cogitat de cogitatione & vocatur Cartesianis vsitata voce Conscientia.

Non obstat GASSENDI censura, qui eadem in re Scholasticis cum sale dicam scripsit, nec enim plane absurdum est: proprium visum videre, minimum proprium sensum sentire nos constat.

29. Dum autem Intellectus vagatur extra se, mouet se vel ad res, vel mouetur a rebus, hinc vel actiuus vel passiuus dicitur.

30. Cum actiuo coincidit cogitatio stricte dicta: passiuo aequiualet sensio.

31. Intellectus actiuus se mouet vt lubet, passiuus vt rerum occasiones ferunt, vnde in morali disciplina cogitationes in voluntarias & inuoluntarias dispescuntur.

32. Intellectus passiuus vtitur obiectis vel praesentibus vel imagine praeteritorum repraesentatis: actiuus etiam ad ea, quae plane non existant, se extendit.

33. Passiuus gignit cognitionem viuam, affectiuam, & sensualem: actiuus mortuam, cerebrinam & idealem: hinc aliter DEVM cognoscit Dauid sentiendo

boni-

bonitatem Dei, aliter Sempronius accurate de Deo disputans.

34. Actiuus Intellectus venatur accurationem, passiuus euidentiam: sic aliter rusticus Lapidis naturam, aliter Physicus introspicit: aliter persona amata quaecunque sentit amorem amantis, aliter de amore ratiocinatur philosophus eundem ex signis probabilibus colligens.

35. Passiuus Intellectus res intuetur singulares: actiuus vero vniuersales: atque horum est scientia. Sic empiricus tantum phaenomenon, quod prae manibus est, considerat: medicus rationalis autem cum morbis aliis confert.

36. Interim Intellectus, cum patitur, maiorem sentit iucunditatem, quam cum agit. Alio modo animus mouetur Hominis speculatiui coram fornace de auium cantu eiusque forma & materia speculantis, aliter animus hominis per campi nemora exspatiantis.

37. Vterque interim tum actiuus tum passiuus sedulo sunt coniungendi, quippe quos natura ipsa arctissimo vinculo connexos voluit.

38. Intellectus passiuus alioquin vocatur perceptio, quod idearum siue imaginum rerum menti obuenientium praesentiam percipiat, vt quando sonum campa-

nae percipit: atque hanc sine dubio cum bestiis communem habemus.

39. Percipitur autem res quaeuis vel interne in mente ipsa v. c. quod cogitem; vel externe extra eandem, vt ignis, calor. &c.

Hinc Theologi deducunt perceptionem internam rerum spiritualium donorumque diuinorum, quam non capit nisi qui sensit. Imo etiam Philosophi interne percipient eam quam honestatis commendant regulae, beatitudinem, tranquillitatem, voluptatemque. si modo illa vere menti ad fuerit. Mihi ex hac obseruatione & Theologi & Philosophi veri ac genuini definitio pendere videtur.

40. Interna perceptio non minus certa ac euidens existit, quam externa: ita certissimus est amor de amore reciproco personae amatae, aeque ac de visione faciei: vocatur haec certitudo alias fides cordis.

41. Intellectus actiuus res inuicem confert & stricte loquendo cogitatio audit, quia scilicet imagines rerum coagitat i. e., vel coniungit vel separat, vel nouas producit ordinatque.

42. Pendet inde vulgata trium mentis operationum distinctio, quae hactenus non quidem omni fundamento, sed forte vtilitate carere videtur.

43. Agit

43. Agit praeterea Intellectus vel ope & instrumentis corporis vel sine iisdem, & sic in imaginationem & Intellectum purum dispescitur.

44. Dari Intellectum purum non ambigo: ita enim a quibusdam cognoscuntur Deus, spiritus, entia moralia: sed rarior est, prout ingenia abstractionibus nata rariora existunt, nec late admodum patet.

45. Nec obstat quod hae ideae per signa corporis innotescant: fiunt enim ex post facto denique ideae purae abstractione & inde ab imaginatione separantur.

46. Interim nec imaginatio negligenda sed saltem coercenda imo quandoque excitanda venit, quippe quae maximum vitae vsum praestare apta est.

47. Vti autem mens vel recipit ideas, vel secernit, vel retinet; ita intellectui Ingenium, iudicium, & memoria tribuuntur.

48. Ingenium est facultas Intellectus ideas prompte recipiendi reddendique.

49. Inde, qui ingenio pollent, grati existunt in sermonibus, Oratores & Poetae felices, adeo vt ingenium quasi mel & oleum eruditionis haberi possit, veritati tum inueniendae tum communicandae conuenientissimum.

50. Iudicium est facultas Intellectus

 prom-

prompte de conuenientia & differentia idearum iudicandi.

51. Hoc qui posſident, ſpiritu vtuntur tardiori ſed ſolido magis, loquuntur pauca non verba ſed pondera, cunctationi potius quam praecipitantiae obnoxii, habentque quaſi ſal eruditionis.

52. Memoria eſt facultas Intellectus ideas menti cerebroque impreſſas diu retinendi.

53. Frigidi hi ſunt tardique memoria pollentes & cognitionem ſingularium praeteritorum ad nauſeam vsque oſtentantes, veritati nec inueniendae, nec diiudicandae, nec communicandae ſatis apti.

54. Magnus tamen etiam memoriae vſus eſt, ſi reliquis iungatur. Si ſola exiſtat; rei oeconomicae potius & vitae communi quam eruditioni inſeruit.

55. Adhaerent interim cuilibet facultati vt virtutes, ita & defectus proprii, inde haec illas, illae hanc iuuent, non deſtruant.

56. Optime ſane iis vtitur, cui vel natura vel arte Ingenium, iudicium, & memoria aequalia praeſtant officia.

57. Diſtinguunt etiam inter Intellectum theoreticum & practicum, imo & inter theoretice practicum, & practice practicum.

58. **Sed hac ſubtilitate vix opus videtur,**

tur, quae nulli alii vsui seruit, quam vt aliquot antiquata contradictoriae doctrinae sphalmata felicius obtegantur.

59. Poteris potius addere: Intellectum aut esse sanum aut morbidum, aut recte aut male cogitantem: haec enim differentia, vt in medicina corporis; ita & doctrina logica, quae menti medicinam parat, insigne fert momentum.

Cap. V.

De Cognitione.

1.

Prima sani Intellectus virtus est cognitio vt visus oculorum, auditus aurium.

2. Est illa operatio mentis, quae praesentia idearum earumque harmonica constitutione absoluitur.

3. Idea est rei extra mentem existentis in mente & cerebro repraesentatio & alio nomine conceptus vocatur, vt quando Theologus regenerationis, ICtus iurisdictionis, Medicus febris, Philosophus substantiae vel virtutis imaginem quasi mente depingit.

4. Ideae sunt aliae connatae aliae ac-

acquisitae: illae ab ipsa natura intellectui insunt: hae studio vel etiam casu acquiruntur.

5. Ideae acquisitae huius sunt tractationis: connatas, si dantur, logicus & qui ratiocinari discit, supponunt, & si quid circa illas officii est; excitant, detegunt, vsum monstrant vel quaerunt.

6. Mea opinione datur tantum vnica idea connata vniuersalissima & omnium prima, quam siue quis ideam contradictionis siue contrarietatis vocare velit, perinde est.

7. Dari hanc ipsam ostendit quód a) aeque omnibus insit hominibus etiam inscüs, & antequam doceatur. Est in rustico aeque ac erudito: est in infantibus quamprimum numerare sciunt, neque his vnquam persuadere poteris: tria esse duo vel vnum esse tria.

8. Reliquae, quas allegant alii, aut non adsunt omnibus sub initium rationis vsus: aut ex hac ipsa, in qua virtute latuerunt, demum oriuntur per ratiocinationem siue cogitationem presse dictam.

9. Hinc autoribus suis linquimus ideas connatas, quas aliqui fingunt, Dei, perfectionis, boni, aliaque, quippe quae omnes demum ex idea contrarietatis cogitando eliciuntur, nec necessario in hominibus existunt.

10. Do-

a) Haec idea [illegible] exploditur a Walchio hist. logic. p. 749

10. Docet hoc experientia ostendens: homines infima de plebe & pecudum more educatos a cognitione Dei existere alienissimos: si non semper, quandoque tamen.

11. Docet id quoque diuersitas ratiocinii, quod ab hominibus circa perfectionem rerum & bonum hominis instituitur, quae sane tanta esse non posset, si daretur eius idea homini connata.

12. Ideae acquisitae partim mentis opera producuntur, partim quasi sponte sua eidem obuersantur.

13. Illae sunt in potestate producentis: non hae, sed his requiritur occasio, quae fortunae est. vid. Cap. praeced. vbi de intellectu actiuo & passiuo.

14. Sunt porro ideae vel simplices vel compositae. Simplices ne mente quidem diuidi possunt, vt existentia, substantia &c. Compositae vti ex variis ideis simplicibus componuntur; ita in easdem resolui queunt e. g. Eruditio, quae comprehendit ideam doctrinae, & quidem doctrinae quaerentis felicitatem hominis externam & internam.

15. Vbi itaque nulla compositio, ibi nec vlli resolutioni locus est: hinc ineptae sunt definitiones idearum simplicium.

Quaerit hic IO. CLERICVS: an omnibus hominibus insint eaedem ideae simplices, sed ipse

ad quaestionem nimis subtilem nec satis vtilem non respondet. vid. tamen eiusd. Log. P. I. c. II. 15.

16. Nascitur ex compositione diuisio alia idearum in abstractas & concretas. Abstractae considerantur sine alia idea cui inhaerent, & a qua hactenus separatae finguntur. Concretae duas ideas quasi coalitas repraesentant. e. g. si mente reuoluam sapientiam Salomonis, & quatenus consideratur in Salomone, & quatenus extra ipsum.

17. Multum vero interest in interpretatione alienarum cogitationum, si sciam, an voces loquantur de idea abstracta an concreta v. c. de maiestate regia Galliarum.

18. Posita idea concreta, concipitur quoque abstracta.

19. Ab existentia abstractae ad existentiam ideae in concreto vix procedet argumentatio, quia quaedam in mente, sine fundamento in natura, fingi possunt.

20. Si essentiam ideae abstractae nosti; nota est dimidia pars ideae concretae, non vice versa: non enim semper partes intuetur, qui totum oculis vsurpat.

21. Naturali nexu sequitur diuisio idearum alia, in *vniuersales* siue generales i. e. multis rebus, communes, & *singulares* siue indiuiduas: vt si concipias Spiritum,

Ange-

Angelum, Gabrielem; Philosophum, Eclecticum, Socratem.

22. Atque hoc vult Peripateticorum doctrina de genere, specie, atque individuo.

23. Ideae vniuersales in se continent singulares: hae vero tantum comprehenduntur.

24. Ideae vniuersales gignunt scientiam: singulares experientiam, illae probationi hae tantum illustrationi inseruiunt.

25. Ideas vniuersales considerare debet Metaphysica sanior, quod si facit vt debet; est disciplina & vtilissima & necessaria admodum. vid. *IO. AMOS. COMENIVS in praef. Ian. Rerum §. 12.*

26. Licet vero singulares ideae ab vniuersalibus comprehendantur; non tamen qui cognoscit genus, eo ipso ex omni parte cognoscit speciem, vel indiuidui ideam, sed tantum quatenus sub genere continebantur.

27. Ita posita idea hominis, ponitur etiam idea poloni, sed contingenter non necessario: ponitur & eodem modo Casimirus: interim qui habet ideam hominis non habet ideam hominis Poloni, multo minus Casimiri.

28. E contrario: posita idea indiuidui ponitur necessario & idea particularis, &

vniuerſalis: ratio eſt, quod ideae ſingulares ſint compoſitae v. c. Caſimirus ex idea Caſimiri, Poloni, & Hominis: vniuerſales quo magis tales, eo magis ſimplices exiſtunt.

29. Ita idea omnis & nihili eſt vniverſalisſima, & ſimul ſimplicisſima, quam nulla mentis accuratione ſeparare poteris.

30. Oſtendent haec vſum ſuum vlterius vbi de demonſtratione & duplici veritatem quaerendi methodo praecipiemus.

31. Sunt autem praeterea Ideae aliae rerum, aliae conceptuum, vel vt alii loquuntur, entium aut realium, aut rationis.

32. Entia rationis certius cognoſcuntur, ſunt enim ordinario & magis ſimplices, & magis vniuerſales: hinc certius demonſtratur notionum metaphyſicarum nexus, quam cauſarum phyſicarum compages.

33 Ideae conceptuum partim ſunt conceptuum propriorum, partim alienorum. Illae certae ſunt cognitionis, hae non aeque: haec enim ad hiſtoriam pertinent, vt ſi quaeram ideam Spinoſae de Deo.

34. Vt vero res variant; ita & earum ideae, hinc ſunt vel ſubſtantiarum, vel modorum, vel relationum.

35. Subſtantiae generalis conceptus obſcurus eſt, neque definitionem patitur: & con-

concretae substantiae non in sensus incurrunt, hinc facilius cognoscuntur accidentia siue modi.

36. Modi infinitis rationibus variant: hinc sedulo a rebus ipsis separandi sunt. conf. *CLERICUS Part. I. c. III.* & *Dn. THOMASIUS in quaest. an substantia possit definiri.*

37. Ideae relatiuae sunt plurimae, non poteris enim concipere patrem, magistratum, magnum, longum, &c. nisi concipias correlata.

38. Sunt autem hae omnis iustae connexionis ordinisque media: imo hinc quoque prouenit, quod idea vna excitata excitetur & altera.

Ita notum est exemplum pueri cuiuspiam, qui facto perterritus insolito quopiam, nomen Iesu inuocauerat, postea que ad auditum eiusdem singulis momentis insano quodam furore corripiebatur, ab imperitis idcirco pro obsesso habitus.

39. Sed propius ad idearum cognitionem veniendum est: hanc itaque si respicias; sunt illae vel clarae vel obscurae. Huius exemplum habes, dum spiritum, vel etiam rem corporalem, e longinquo oculis exhibitam percipis: clara est, quum rem praesentem cognoscis, vt v. c. quod dies sit.

40. Sunt

40 Sunt porro vel confusae vel distinctae: illius exemplum sistit idea arboris, quam de fenestra prospicis, cuiusnam sit speciei incurius: distincta aderit, si folia, ramos, &c. oculis prehendere licuerit.

41. Sine dubio superuacuum est admonere: quaerendas esse ideas claras & distinctas vbi illae haberi possunt.

42. Clarae esse possunt ideae modorum, entium realium, singulares, concretae, compositae: distinctae aliquando apparebunt ideae existentiae, substantiarum, conceptuum, vniuersales, abstractae, simplices.

Hinc vides non omnia distincte intelligi, quae clare cognoscuntur, licet existimet Dn. TITIVS in art. cog. c. V. §. III. nouit quis clare fulguris flammam, quae apparet, distincte eandem ne centesimus contemplatur.

43. Denique ideae sunt partim adaequatae, quae rem quoad omnes partes referunt, partim inadaequatae, quae quoad maius vel minus in referendo excedunt.

44. Distinguunt etiam aliqui inter ideam veram & falsam, sed id huc non pertinet, cum falsitas vel veritas menti, non nisi accedente iudicio, appareat.

Hinc idea licet in se vel vera vel falsa sit, tamen, quamdiu idea manet, intellectus quoque veritatem vel falsitatem non percipit: adeoque veri-

veritas cognitionis potius quam ideae est: quae obseruato conciliari poterunt BVDDEVS c. II. §. VII. TITIVS in art. cog. c. V. §. XXII. & THOMASIVS in introd. ad philos. aul. c. V. §. IX.

45. Sed vero non sufficit idea si cognitionem quaeris, plures requiruntur, & quidem certa gaudentes harmonia & conuenientia.

46. Vnde requiritur iudicium, quod est vnio vel separatio idearum a mente facta, vt si dicas: Philosophus est Bipes.

47. Regulariter hic duae conferuntur ideae, quarum primam subiectum, alteram praedicatum vulgo vocant, quando scilicet verbis exprimitur & propositio vocatur.

48. Subiectum propositionis est idea prima in ordine considerationis, quae confertur cum praedicato siue idea latiori & notiori v. g. si idea equi conferatur cum idea quadrupedis.

49. Ex harum idearum diuerso situ, & relatione, quam ratione adiectarum particularum, ad inuicem habere solent, variae enatae sunt logicis enunciationum vniuersalium, particularium, singularium, indefinitarum, categoricarum, & hypotheticarum, affirmatiuarum & negatiuarum, compositarum & simplicium species, quae vero ex doctrina idearum superiori, aliisque ex ser-

mo-

40. Sunt porro vel confusae vel distinctae: illius exemplum sistit idea arboris, quam de fenestra prospicis, cuiusnam sit speciei incurius: distincta aderit, si folia, ramos, &c. oculis prehendere licuerit.

41. Sine dubio superuacuum est admonere: quaerendas esse ideas claras & distinctas vbi illae haberi possunt.

42. Clarae esse possunt ideae modorum, entium realium, singulares, concretae, compositae: distinctae aliquando apparebunt ideae existentiae, substantiarum, conceptuum, vniuersales, abstractae, simplices.

Hinc vides non omnia distincte intelligi, quae clare cognoscuntur, licet existimet Dn. TITIVS in art. cog. c. V. §. III. nouit quis clare fulguris flammam, quae apparet, distincte eandem ne centesimus contemplatur.

43. Denique ideae sunt partim adaequatae, quae rem quoad omnes partes referunt, partim inadaequatae, quae quoad maius vel minus in referendo excedunt.

44. Distinguunt etiam aliqui inter ideam veram & falsam, sed id huc non pertinet, cum falsitas vel veritas menti, non nisi accedente iudicio, appareat.

Hinc idea licet in se vel vera vel falsa sit, tamen, quamdiu idea manet, intellectus quoque veritatem vel falsitatem non percipit: adeoque veri-

veritas cognitionis potius quam ideae est: quo obseruato conciliari poterunt BVDDEVS c. II. §. VII. TITIVS in art. cog. c. V. §. XXII. & THOMASIVS in introd. ad philos. aul. c. V. §. IX.

45. Sed vero non sufficit idea, si cognitionem quaeris, plures requiruntur, & quidem certa gaudentes harmonia & conuenientia.

46. Vnde requiritur iudicium, quod est vnio vel separatio idearum a mente facta, vt si dicas: Philosophus est Bipes.

47. Regulariter hic duae conferuntur ideae, quarum primam subiectum, alteram praedicatum vulgo vocant, quando scilicet verbis exprimitur & propositio vocatur.

48. Subiectum propositionis est idea prima in ordine considerationis, quae confertur cum praedicato siue idea latiori & notiori v. g. si idea equi conferatur cum idea quadrupedis.

49. Ex harum idearum diuerso situ, & relatione, quam ratione adiectarum particularum, ad inuicem habere solent, variae enatae sunt logicis enunciationum vniuersalium, particularium, singularium, indefinitarum, categoricarum, & hypotheticarum, affirmatiuarum & negatiuarum, compositarum & simplicium species, quae vero ex doctrina idearum superiori, aliisque ex ser-

monis indole colligendis facillime intelligi poterunt.

Pertinent huc scholasticorum Ingeniorum nitida inuenta: Quae ea vel hyp, qualis ne vel aff, quant vni par in sing.

Asserit A negat E, sed vniuersaliter ambae
Asserit I negat O sed particulariter ambae.

50. Cum autem in propositionibus vniuersalibus contineantur singulares, orta est differentia propositionis subalternantis, quae alias continet, & subalternatae, quae ab alia continetur, vt cum dico: Vitium est fugiendum, E. auaritia est fugienda.

51. Hinc a veritate subalternantis concluditur ad veritatem subalternatae, sed non contra.

52. Eodem modo veritas propositionis vniuersalis, ostendit veritatem singularis, sed non contra.

53. E contrario falsitas propositionis singularis siue particularis infringit veritatem vniuersalis, non vice versa.

54. Propositionis singularis & particularis veritas probatur exemplo: non vero vniuersalis, cuius verosimilitudo demum ex infinitis exemplis, quorum non dantur contraria, inducitur.

55. Porro: Vniuersalium propositionum veritas vnico exemplo infringitur: particularis non item.

56. Quae

56. Quae de propositionibus simplicibus & compositis praecipiunt, non omni vtilitate carent in exercitiis interpretationum, sed differentia vel ex grammaticis intelligitur.

57. Obseruanda potius propositionum oppositio, qua alia aliam tollit. Sunt tales vel *oppositae* cum vna affirmat, quod altera negat: vel *contradictoriae*, vbi vna affirmat vniuersaliter vel contra, altera vero aliquid particulariter negat vel contra.

58. Sunt porro vel *contrariae*, quando duae enunciationes contradicentes sibi inuicem sunt vniuersales, vel *subcontrariae*, quando vtraque est particularis. Exemplo est: O. Homo mendax: N. Homo mendax. Q. Philosophus ineptit. Q. Philosophus non ineptit.

59. Contradictoriae nunquam simul sunt verae vel falsae: Si verum est, quod omnes homines errare possint, non est verum, quod Papa sit infallibilis.

60. Contrariae nunquam simul sunt verae, sed aliquando simul falsae. Ita falsum est: Et omnes eruditos esse sapientes, & nullum eruditum esse sapientem.

61. Sub-contrariae simul possunt esse verae, sed non simul sunt falsae. Ita si dicam: aliquis philosophus ineptit, aliquis non ineptit, vtrumque fallere non poterit.

62. Sed

62. Sed haec sufficiant circa doctrinam, quae minutias sectatur, quaeque tot Scholasticorum exercuit manus. Aliquando ad duarum idearum de qua diximus hactenus, conuenientiam vel disconuenientiam ostendendam animo accedit idea tertia ambabus latior, vnde syllogismus siue argumentatio enascitur.

63. Potest autem syllogismus dupliciter considerari, vel vt huius loci est, & naturali cogitandi ratione sequitur, vel quoad veritatis demonstrandae argumentum existit, variisque artis regulis elimatus apparet. de hoc dicam inferius: ille cognitionis instrumentum & complementum est.

64. Cognoscimus autem res vel vt sunt, vel vt apparent, hinc I. cognitio est vel falsa vel vera.

65. Cognoscimus res vel singulares & in indiuiduo seu concreto, vel vniuersales & in abstractione, vnde II. est vel sensualis vel idealis.

66. Sensualis cognitio ostensiua est, idealis ex principiis vniuersalibus demonstratur. ita: an talpa careat oculis ostenditur: an homo sit creatus demonstratur.

67. Fluit hinc diuisio III. quod cognitio sit vel *actiua*, vbi mens ad cognoscendum se mouet ab interno, vel *passiua* vbi moue-

mouetur a rebus externis. *conf. Cap. praecedens de intellectu actiuo & passiuo.*

68. Cognoscimus vero non omnia, quae cognoscimus, eodem modo. Aliquando cognoscitur existentia & harmonia idearum, sed sine causa harmoniae, aliquando contra cum causa: vnde IV. cognitio est vel superficiaria vel solida.

ARISTOTELICI dicunt cognosci 1. vel an res sit, 2. vel quid res sit. 3. vel cur ea sit. Huc quoque pertinet quod COMENIVS notat: discere nos res scire (quoad existentiam) intelligere (quoad causas) iisdem vti (quoad vsum.) vid. Eiusd. Ianua rerum c. I. n. 4. sqq. primum scientiae gradum ille vocat empiricum, secundum epistemonicum, tertium heureticum. conf. C. V. N. spicilegium didacticum ex MSptis Comenii collectan. part. I. de arte discendi. p. 1. 2. 3.

69. Superficiariam alias & crassam, vulgarem, dialecticam vocant: solida subtilis, selecta, & analytica audit.

70. Illa cognoscit Physicus motum & extensionem plantae e seminis grano: haec vero ipsi causas eiusdem rei pandit. Illa, vt opinantur, vulgi est, haec eruditorum: sed & hi aliquando Nubem pro Iunone venerantur.

71. Nec vero solida cognitio tantae semper vtilitatis est, quanti laboris: nouimus

mus aliquando res earumque caussas: ignoramus vsum, cum homo rusticus e contrario saepe cognoscat vsum rei, cuius caussae ipsius intellectum latent. Hinc itaque V. cognitio est vel otiosa, vel vtilis.

72. Cognitio otiosa Physici est, quando naturam terrae speculatur: vtilis esse incipit, dum rustici curas imitatur & ex natura eius diuersos vsus effectusque deducit ac applicat.

73. Otiosa cognitio est res indifferens nec bona nec mala: vtilis vero & quae applicatiua est recte inter hominis bona refertur.

74. Ast differt etiam gradu cognitio: hinc VI. vel certa est vel probabilis: vtraque ex obiecti habitudine pendet.

75. Certa sine dubio probabili praestat quantum ad cognitionis modum attinet: probabilis vero eandem saepissime vtilitate vincit.

76. Eandem ob rationem VII cognitio vel clara vel obscura, vel distincta vel confusa erit, sed de his superius dicta ex §. *XLII.* repetenda.

77. Ex dictis sequitur VIII. cognitionem aliam esse perfectam, & omnibus numeris absolutam, aliam imperfectam, mancam, & requisitis necessariis ex parte carentem.

78. Re-

78. Requiritur autem ad cognitionem perfectam ut sit (α) vera, (β) solida, (γ) utilis, (δ) certa, (ε) clara, (ζ) distincta. Qui tali cognitione praeditus, is demum vere Eruditus existit.

79. Interim nec imperfecta abiicienda venit cognitio, praesertim si alicubi melior haberi non possit: tendendum tamen semper ad summa.

80. Ministerio sunt sensus, ratio, revelatio, quacumque inuestiganda est veritas, tum certa tum verosimilis: pellendaque Ignorantia cum errore.

CAP. V.

De

Cognitionis opposito seu ignorantia.

1.

IGnorantia mera cognitionis priuatio est. Cum autem mens ad cognoscendum non minus, ac oculus ad videndum, nata sit, merito illa mentis vel morbus vel defectus audit.

2. Est itaque proprie magis loquendo ignorantia defectus mentis ortus ex absentia partim idearum ipsarum, partim per-

ceptionis de earundem conuenientia & disconuenientia.

3. Absentia idearum *Ignorantia* strictius audit, si vero tantum idearum nexus vel relatio desideretur *dubitatio* vocatur. *Ita si quis ideam Dei & Spiritus plane ignoret in ignorantia versabitur; si nesciat an Deus sit Spiritus de idearum relatione tantum dubitat.*

4. Ignorantia itaque priuat mentem omni cognitione: dubitatio aliquam supponit, aliquam tollit. Si illam totalem hanc partialem vocare placet, non dissentio.

5. Hinc dubitatio propior ad cognitionem gradus est. Ignorantia longius abest.

6. Ignorantia nobiscum nascitur, dubitatio non potest menti, nisi post ideas aliquas impressas, suboriri.

7. Vtraque est *vel generalis* siue vniversalis, quae omnes conclusiones ex principiis deducendas omnesque singulares perceptiones ignorat: vel *singularis* quae circa vnum quodpiam phaenomenon defectum sentit.

8. Datur etiam Ignorantia stricte dicta, quae aliquando cognitionem sequitur, dum ideae e cerebro anfugiunt quasi, hinc ignorantiam omnem vel connatam vel ortam dicere possumus.

9. Con-

9. Connata omnium hominum est, nec vllius culpam inuoluit, nisi, quatenus eandem quis pellere & debuit & potuit. Orta non omnibus communis est, adeoque saepe aliquam mentis negligentiam demonstrat.

10. Connatam vniuersalem esse sequitur ex superioribus, repetendumque quod diximus de ideis connatis, reiectis Platonicorum de tabula rasa somniis.

11. Datur talis actu in Infantibus, antequam rationis vsus se exserit, nec non in mente captis: sique praeterea fidem meretur, quod de quorundam σκέπτει referunt historiae, extitit quoque vniuersalis dubitatio: haec tamen magis ad ignorantiam ortam pertinebit.

12. Ortam, quam dicimus, Ignorantiam si ideae desint, obliuionem, si relatio idearum deficiat, dubitationem affectatam alias vocant.

13. Affectata dubitatio haud dubie illorum est, quibus insanire iucundum videtur.

14. Praeterea eiusmodi affectatio mentem adeo potest corrumpere, vt omnium idearum relationes quasi exterminet e cerebro, & nil nisi dubia nectere apta maneat.

15. Ignorantia vero stricta, quae si-

mul affectata & priori contradistincta sit mihi nullibi existere videtur, cum nemo pro lubitu ideas quas in mente habet, tollere possit: per ea quae superius docentur de intellectu passiuo.

16. Possunt vero ideae a rebus externis motae sedes relinquere, vnde *obliuio* consequitur.

17. Haec est oppressio vel eliminatio idearum e mente vel potius cerebro, ex cuius male sana constitutione potissimum oritur.

18. Quomodo in intellectu puro dari possit obliuio ego non capio: forte tamen est possibilis, licet modus ignoretur. Ego quod mens aliquando sine corporea imagine cogitet, cognosco sentioque obscure: quomodo vero plane sine cerebri humani adminiculo id fiat, id ego me lubens confiteor ignorare.

19. Si mens separata a corpore sentit cogitatque, ab omni obliuione immunis est: nos de mente cum corpore agente nunc agimus.

20. Huius cognitio magna ex parte a constitutione cerebri pendet: hinc prout hoc vel nimia siccitate, vel nimia fluiditate laborat, vel etiam nimio calore agitatur, ita ideae aliquando obteguntur, distrahuntur, confunduntur.

21. Con-

21. Confert etiam ad distrahendas ideas earum multitudo, nec non praecipitata impressio, neglecta naturalis ordinis ratio, vel etiam coniunctus vehementior animi impetus.

22. Reliquae causae sunt pure physicae, medicam expostulantes manum, quam praeter alios porrigit Dn. D. *HENR. ERNEST. WEDEL in diss. de diaeta Litteratorum.*

23. Sublata obliuione sequitur iterata cognitio siue reminiscentia, quam idearum similium, vel simili occasione eodem loco, eodem tempore, eodem affectu impressarum repraesentatio, nexusque rerum naturalis, & physica spirituum excitatio apprime iuuant.

24. Quatenus autem obliuionis morbus non in actu suo, sed in promptitudine & aptitudine ad actum consideratur, non obliuio sed obliuiscentia vocatur.

25. Sed redeundum est ad Ignorantiam, haec ratione principii est vel sensualis tantum, qualis est in coeco circa colores, vel idealis tantum, vt in homine rustico vix ratiocinante, vel sensualis & idealis simul vt si quis nesciat: hominem esse alicuius normae moralis capacem, discitur id enim & ex sensu & ex ratione.

26. Iuuat haec curiose distinguere ab inuicem, ne cum ad emendationem earundem ventum erit, inconuenientibus remediis & confuse rem aggrediamur.

27. Sic insanit qui ratiocinando quaerit cognitionem Phoenicis, nec minus ille qui sensu quaerit: an mundus sit a se ipso.

28. Si obiecta spectes ignoramus vel rerum existentiam, vel earum essentiam & causas, vel earum vsum.

29. Qui vsum ignorat, nouit aliquid, sed inutiliter, vt si quis anthliae pneumaticae structuram calleret, vsum vero ignoraret.

30. Qui causas ignorat, caret cognitione solida, accurata & demonstratiua: bene tamen vti adhuc potest reliquo cognitionis, vt si quis Arsenici existentiam & operationes calleat, licet, particularum ex quibus illud componitur, habitudinem ignoret.

31. Qui existentiam alicuius rei ignorat, nihil de eadem nouit: & sic ratione rerum cognoscendarum gradu differt ignorantia.

32. Triplex hic ignorantiae gradus omni attentione dignus est, cum eius obseruatio negotium emendationis facilitare queat.

33. Con-

33. Consequitur hinc quotuplex ignorantia ratione sui effectus appareat: vel enim damnosa est, quae priuat cognitione ad felicitatem hominis faciente, vel indifferens, quae priuat cognitione curiosa sed parum vtili, vel vtilis per accidens, quae priuat cognitione humano generi perniciosa.

34. Patet etiam hinc, quaenam ignorantiae species praecipue tollenda veniat & quam saepe hic stulti vitantes vitia currant in contrarium.

35. Connectitur vero cum hac differentia alia, quod ignorantia quaedam sit emendabilis siue vincibilis, quaedam non emendabilis siue inuincibilis.

36. Qui non emendat eam cum possit, stolidus is est & temerarius donorum naturaliter ipsi competentium contemtor.

37. Qui impossibilia quaerit & scire gestit, quae sciri nequeunt, ille tempus & ingenium perdit.

38. Valent haec, quae hactenus dicta sunt non solum de ignorantia stricte dicta, sed & quatenus dubitationem comprehendit.

39. Dubitatio vero speciatim est vel continua, quae semper dubitat, vel temporaria, quae ad certum tempus iudicium mentis suspendit.

40. Illa sine dubio morbus est: haec saepissime sapientiae acquirendae existit medium, nil enim est aliud quam veritatis & cognitionis consectatio.

41. Illa oritur plerumque ex praepostero rationem ultra sensus extollendi studio, vel inchoandi cogitationes ab vniuersalibus: haec compositae mentis est, optimaque errores euitandi cautio.

42. Atque sic differunt scepticismus stultus & sobrius: indeque est, quod perplexitas mater sapientiae & dubitatio cognitionis initium passim audiat: nec male quis eam cum medicorum morbis salutaribus contulerit.

43. Hinc etiam est, quod dubitatio sit vel *voluntaria*, qua mens ad res huc illucue vertendas actiue se mouet, vel *inuoluntaria*, qua mens commotiones idearum in cerebro patitur.

44. Si mauis: est vel actiua vel passiua: vltima est huius loci: illa magis ad caput de meditatione pertinet: Illius exemplum praebet Cartesius ad tempus studio quasi omnium rerum abiiciens cognitionem: huius vero specimen dedit alius, qui forte tentationes de existentia Numinis sensit. Illa artis, haec morbus est.

45. Distinguitur equidem praeterea inter dubitationem *vniuersalem* & *singularem*: illa

illa de omnium idearum conuenientia dubitat, haec circa specialem aliquam thesin quandoque occurrit.

46. Haec ni fallor laudabilis est admodum: illa an actu vnquam extiterit, ego qui nemini mortalium hoc stultitiae genus tribuendum putem, hactenus quidem adhuc dubito.

47. De caetero actus dubitandi differt, qui enim dubitat, vertit mentem suam vel in se, vel in rem ipsam, vel in rem alienam.

48. Intellectus *in se* vertitur, quando quis de euidentia perceptionis suae siue propria cogitatione dubitat: *in rem* quoties de essentia rei quaeritur: *in rem alienam*, si ad ostendendam duarum idearum relationem idea tertia requiratur. sed hoc ad cap. de meditatione potius pertinet.

49. Ignorantiam dubitationemque insequitur curiositas, siue discendi amor, & admiratio.

50. *Amor sciendi* nobiscum nascitur, & a prudenti Doctore magis magisque excitandus venit, cum sit optimum cuiusuis studii adiumentum.

51. *Admiratio* ex ignorantia causarum potissimum oritur. vnde philosophiae finem dixerunt veteres: nil admirari.

52. In-

52. Incendit haec curiositatem seu amorem sciendi, vnde & ipsa optima quaerendi veritatem magistra audit.

CAP. VI.

De Veritate eiusque principio.

I.

SI pellas ignorantiam, sequetur cognitio: haec autem ex intentione quaerentis semper vera esse debet, hinc ante omnia de veritate dicendum erit.

2. Veritatis vocabulum aliter in scholis logicis, aliter in philosophia morum supponitur: hic consideratur mentis sermonisque conformitas; isthic vero mentis & rei conuenientia perpenditur.

3. Logica veritas non in verbis sed in rebus est: vnde inconsulte admodum agunt, qui propositionis veritatem hoc in loco cum veritate, quae in ideas cadit, commiscent.

4. Veritas propositionis est conuenientia subiecti, siue Cartesianorum stylo, ideae primae, cum praedicato seu idea secunda, quatenus hae extra mentem considerantur.

5. Veri-

5. Veritas mentis est ideae mentalis cum re extra mentem constituta quae ab idea denotatur, vel etiam duarum idearum, quarum relatio mente percipitur, conformitas.

6. Illa extra mentem constituitur, haec interna est: illa quasi in abstracto est, haec concreta videtur: illa huius causa, haec illius effectus existit. Illa aliquando est veritas & non audit, haec & est & simul audit.

Sic poterit aliquid verum esse in abstracto, vt si dicas: Voluntas corrumpit intellectum, quae propositio est verissima; sed interim aliquando falsitatis arguetur in concreto a Magistris nostris Coloniensibus. Clarius: propositio illa per se quidem est vera, sed non pro vera habetur abhoc vel illo, quod ni fallor veritatis propositionum & mentis differentiam satis declarat.

7. Conueniunt autem ideae vel necessario & per rerum, quas notant, essentiam, vel contingenter, & prout fert occasio, vt si dicas: *Imperator est homo*, &: *Imperator est pius.*

8. Hinc pendet superius allata cognitionis distinctio in certam & probabilem: ea enim quae contingenter vniuntur, probabiliter, quae necessario, certo cognoscuntur.

Atque

Atque haec videtur mens fuisse ARISTOTELI, cum demonstrationis subiectum voluit esse necessarium i. e. necessario connexum cum praedicato. vid. ARISTOT. L. I. Eth. ad. Nicomach. c. I. & conf. Dn. de PVFENDORF de I. N. & G. L. I. c. II Clarius rem exprimit BARTHOLOMAEVS VIOTTI in tr. de demonstratione L. I. c. II: Vbi probabilem inuenimus aut verisimilem, aut veram rationem, sed quae tamen & aliter se habere possit, tunc dialecticam probationem adduxisse dicemur. At si talem attulerimus, quae sit perpetuae veritatis, nec vnquam aliter se habere possit, perfectissimo tunc docendi genere vtimur. conf. quae habet idem L. I. c. XII -- XV. quamuis quodammodo iterum rem inuoluat.

9. Interim non sequitur, quod necessario & semper certo cognoscantur, quae necessario conueniunt, sed tantum quod certo cognosci debeant & possint.

10. Illud vero sequitur: neminem cognoscere veritatis certitudinem vel necessariam idearum conuenientiam, nisi qui rerum naturam perspectam habet.

11. Vnde insaniunt, qui cum rei naturam non capiant, tamen certitudinem demonstrationemque iactitant.

12. Est autem certitudo duplex, vel *sensualis*, qua per sensiones res singulares certo cognosco: vel *idealis*, qua vniuersalia men-

mentis ideis exprimuntur: ita *illa* euidenter cognosco: me iam vigilare: hac vero conuincor, quod a Deo non ad malum sed bonum productus sim.

13. *Sensualis* perceptio magis clara est, *idealis* cognitio magis distincta.

14. *Sensualis* vel sua euidentia per se radiat, vel ostenditur.

15. *Idealis* partim propria euidentia innotescit & vocatur indemonstrabilis, partim ex aliarum veritatum cognitione pendet, & vocatur demonstrabilis.

16. *Sensualis* connectitur cum vltimo veritatis criterio, *idealis* cum primo veritatis principio.

17. Vltimum veritatis criterium est propositio vniuersalis, in qua omnes propositiones singulares tanquam in centro continentur.

18. Oportet autem, vt haec propositio sit ea, ad quam omnes ratione sensuque vtentes, cum sensum allegant, prouocant.

19. Omnes homines, si de rebus singularibus quaeratur, loco probationis adferunt: quod in conscientia conuicti sint, quod hoc clare perceperint: Sie hätten es ja deutlich gehöret oder gesehen.

20. Ergo absque dubio nobis hoc praestabit propositio: Quicquid clare & distincte percipio, illud verum est.

Agno-

Agnoscit & hoc RENATVS DES CARTES, qui illam propositionem tanquam generalem veritatis regulam commendat in tr. de methodo §. IV. & Princip. part. I. §. XXX. conf. RHEGENIVS in specim. log. Cartes. c. XIII. Sed forte differunt sensu, quippe qui pene omnem huius perceptionis euidentiam abiudicant sensibus & soli intellectus iudicio tribuunt. vid. quae huc differit Illustris THOMASIVS de prud. cog. c. VI. Ego enim cum illo ex doctrina rationis P. I. c. VI. §. XX. 26. & 100. criterium hoc verae cognitionis & sensibus & rationi simul fundamentum debere persuasus sum. conf. qui illud sub principii iudicantis nomine prolixe declarauit Dn. D. TITIVS in arte cogit. c. III. §. XXIV.

21. Clare & distincte rem tunc percipere credor, quando vel sensus vel idearum eidentia ita conuincor, vt cur dubitem de rei veritate nil restet. Sic si quaeratur: an sit dies? Resp: vtique. quaeris quare? Resp. quia clare & distincte percipio. Idem valet si quaeratur: quare duo & duo sint quatuor? Illud exemplum ad sensus, hoc ad idearum euidentiam pertinet.

22. Est vero haec propositio (α) vniversalis, (β) omnibus hominibus quasi naturalis, (γ) ex terminis clara, (δ) &, quod caput rei est, vera: sed non est indemonstrabilis, cum in primo demonstrandi principio,

cipio, quod mox declarabitur, contineatur: quamuis demonstratione non indigeat.

23. Vsus eius est in conuincendis nobis ipsis, non in aliis, hinc vtimur eadem contra nos, non contra alios: vtimur eadem in sentiendo & meditando, non in docendo vel disputando, pertinetque eadem potius ad inuestigationem quam ad communicationem veritatis.

24. Vtimur eadem in probatione & cognitione veritatum singularium & sensualium, non vniuersalium & idealium.

25. Veritas idealis seu vniuersalium itidem duplex est, vel enim ex aliarum veritatum magis vniuersalium veritate cognoscitur, vel ex seipsa intelligitur.

26. *Illa* demonstrabilis *haec* indemonstrabilis audit. *Illius* veritas ratiocinatione demonstrari potest, & vtplurimum debet: *haec* nec potest nec debet.

27. Illius generis dantur infinitae: haec vnica est & vocatur primum veritatem demonstrandi principium.

28. Requirunt autem in hoc primo & cognoscendi & demonstrandi principio 1. vt sit indemonstrabile siue vt plane a priori, quod vocant, & per causas demonstrari non possit, etenim non esset primum, si demonstraretur, sique daretur cognitum aliquod ipso prius.

29. Requirunt 2. vt sit verum, quomodo enim alias veritatis esset principium?

30. Denique 3. necesse est, vt sit vniversalissimum, ita vt omnes propositiones vniuersales ex illo deduci queant: ac in idem iterum resoluantur.

31. Nobis hoc suppeditat idea omnibus hominibus, quam allegaui superius, connata Contrarietatis siue contradictionis, cum dicit: Contradictoria non posse simul esse vera.

32. Idem est, vt alii efferunt: *quodlibet quod existit vel esse vel non esse*: aut: *nihil simul esse & non esse*. vid. Dn. THOMASII *prud. cogit. c. VI. §. 20. 21. & Iprudentia diu. L. I. c. III. §. XVIII.*

33. Quod hoc principium euidens, indemonstrabile, atque sine limitatione vel exceptione verum existat, quantum ego recordor, nullus inficiatur.

34. Vniuersalitatem autem, quam eidem pos. 30. tribui, assero constans donec a quoquam proferatur exemplum propositionis cuiuspiam vniuersalis, quae cum illo non possit vel mediate vel immediate connecti.

Duplici via hic contrarius est Consultissimus Dn. TITIVS, in arte cogitandi c. III. negat enim §. LXXV. dari tale aliquod principium vniversale, in quo omnes conclusiones disciplinarum

rum particularium connecti queant, & praeterea §. LXXIX. & LXXX. principii nostri & vniuersalitatem & vtilitatem impugnat: sed licebit hic pro ea, qua ipse Vir doctissimus vtitur libertate hactenus sentire contrarium, postquam rationes eius non adeo stringunt ac ipsi visum fuit. Putat ille meram Ingenii Carnificinam futuram esse, si quasuis veritates particulares ad primum aliquod principium reuocare velimus, & tandem rem non processuram. Verum ni fallor aut contra neminem militat aut contra apertam veritatem. Si existimat esse, qui quaecunque dogmata eo reuocanda ducant sine omni exceptione fallitur, cum & ARISTOTELES cum grege intelligant propositiones ex vniuersalibus fluentes: de singularibus apud omnes constat: easdem reduci ad fontem non debere. Si vero credit, impossibile esse res diversissimas & diuersarum disciplinarum in vno principio connecti, imputet persuasioni suae, quae ipsum abhac meditatione vt videtur, alienum fecit. Vna est veritas & sibi semper conformis, & nisi hoc esset sequerentur sine dubio contradictoria: Ergo vbicunque ratiocinatio, quae semper ex vniuersalibus procedit, locum habet, ibi progredi poteris vlterius ad magis vniuersalia: hic propressus autem non potest esse aeternus, Ergo necessario in propositione vniuersalissima conuenient propositiones. Exemplum obiectum inconueniens est, cum ibi ideae

physicae metallorum singulares cum moralibus connectendae dicantur, quod nemo praesumit: quatenus autem & ibi occurrunt ideae vniuersales, eatenus vtique ad primum principium reduci poterunt. Sic v. g. quaeratur: an metallum sit vel esse debeat instrumentum nequitiae humanae? & Resp. negando, quia est creatura Dei: Creatura Dei non debet esse instrumentum nequitiae, quia Deus semper agit propter bonum finem: nisi enim hoc esset, Deus non esset sapiens nec esset bonus, si non esset sapiens & bonus; non esset id quod Deum vocamus, & sic simul esset & simul non esset, nihil autem simul est & non est. Interim facile largior non semper tali deductione opus esse: sufficit tamen, quod sic diuersarum disciplinarum veritates in vnum centrum deduci queant. Carnificinam nemo metuat, nisi artis cogitandi ignarus, praesertim cum aliquando contra praefractum Aduersarium indigeamus hoc medio. Quod vero idem consultissimus Vir nostram propositionem pro nuda assertione habet, qua aduersario contradicimus, illud a vero abludit: omnes ideae, quae subiectorum vel praedicatorum locum sortiuntur sub idea entis & non entis comprehenduntur: Ergo & omnes propositiones, nisi sint indiuiduales, hinc deducentur. Sic Ontologia est thesaurus mille subsumtionum, si recte sit instructa, qualis mihi videtur ea, quam doctissimo IOANNI CLERICO debemus.

mus. Dum vero Dominus TITIUS principium nostrum principio suo iudicandi subordinat, confundit criterium veri, & principium verum demonstrandi. Hoc est: Vniuersalissima propositio: illud clara & distincta perceptio. Huius veritas ex illa contra Aduersarium demonstrari poterit, si quaeratur: quare illud pro vero habeam, quod clare & distincte percipio. Illius vero interna conuictio pendet a criterii claritate. Ergo sic dicendum: Criterium veritatis, quod ipsi principium iudicans audit, contra alium demonstrari ex principio demonstrandi: principium vero demonstrandi coram iudicio proprio diiudicari ex veri criterio: sic vtrique suum munus intaminatum manebit. Sed in viam redeundum est, licet maiorem fortassis declarationem materia desiderare videatur.

35. Modus progrediendi ad hocce principium mihi quidem facillimus videtur, licet non negem plurimis eundem incognitum fuisse, qui in libellis logicis ridicule admodum eius vsum ostendere fategerunt, nec mirum: cum solenne sit eruditis quibusdam negligere facillime peruia, & interim nescio quas subtilitates & phantasmata venari.

36. Nec obstat, quod hoc principium non tam monstrandae veritati, quam detegendae falsitati inseruiat, cum rite formata contradictione ostensaque vnius propositionis falsitate necessario alterius oppositae veritas innotescat.

 37. Ne-

37. Nexus autem generatim sic habet: omnium disciplinarum, in quas ratiocinatio cadere potest, conclusiones conueniunt in propositione quadam fundamentali: omnes disciplinae vlterius fundamentum sumunt ex canonibus metaphysicis: omnes vero hi canones ex primo principio demonstrantur.

Optime huic negotio inseruire poterunt IO. CLERICI Ontologia, & IO. AMOS COMENII ianua rerum reserata: hi enim autores principia metaphysica non sine insigni studio a vaniloquiis scholasticis & nugis terminiloquiis vero ratiocinationis vsui rite vindicarunt. Vt vero mens methodusque mea clarius pateat subiiciam exemplum rem euidenter declarans, ex iurisprudentiae naturalis disciplina: & cum, haec vel abstrahat a notitia Dei vel eam supponat, duplici quoque via procedemus:

Nihil simul est & non est.
E. nihil est causa sui ipsius.
Ergo quicquid esse coepit, non est a seipso.
Ergo datur prima Causa rerum
Ergo: datur ens perfectius rebus.
Ergo datur Deus.
E. Deus est sapiens.
E. Deus est bonus.
E. vult vt Hominibus bene sit.
E. Vult vt homines viuant tranquille.

E. Vult

E. Vult ne quis aliquem laedat.

E. Pacta sunt seruanda.

Poteris ratiocinando retrogradi, & videbis has omnes propositiones iusto nexu cohaerere: tentabo interim idem exemplum alia via: quam etiam Atheus absque dubitatione sequi poterit.

Pacta sunt seruanda:
quia nemo est laedendus,
quia tranquillitati publicae est studendum.
quia vita beata est quaerenda:
quia quicquid agit, propter finem agit,
& quia finis semper habet respectum boni:
alias enim & esset finis & non esset finis,
& homo ageret & simul non egisse vellet.
Sicque aliquid in eo simul esset & simul non esset.

38. Distinguendum autem est hoc principium vniuersale a primo cognito siue prima veritate, quae etiam particularis & singularis esse potest.

39. Principium ideo primum vocatur, quod in naturali rerum ordine inter vniuersalia primum obtineat locum: Prima veritas hoc nominis fert, quod in ordine cogitandi aliquando primitus appareat.

40. Atqui talis erat Renati des Cartes, quam primi cogniti loco supponebat, propositio: Cogito ergo sum.

41. Distinguenda sunt porro ab vniversali nostro omnis sapientiae ratiocinantis principio, specialium disciplinarum principia ex illo orta, & cum illo connexa.

42. Patet vero ex obseruatis duplicem esse philosophandi rationem progrediendi vel a singularibus ad vniuersalia, vel ab vniuersalibus ad singularia, quam inferius declarabimus.

43. Est etiam vt diximus veritas vel certa vel probabilis, sed cum illud quod falsum est etiam aliquando appareat probabile, de hoc cum de falsitate prius dixerimus praecipiemus.

Sic enarrata de principio ratiocinandi doctrina facile erit indicatu, quomodo hic litibus Eruditorum obuiam eundum sit. Scilicet aut confuderunt illi principium & criterium veritatis: aut primam veritatem cum principio: aut in principio quod adhuc alteri subordinandum erat, constiterunt. Exempla Autorum allegare odiosum foret, nec est necesse, cum ex recentioribus Scriptoribus logicis facillime addi queant. vid. interim Dn. THOMASIVS de prud. cog. 2. VI. TITIVS loc. cit COMENIVS in prodrom. pansoph. p. 26--29. Dn. de TSCHIRNHAVSEN in medicin. ment. p. I. BAYER in Cynosura mentis, part. I. c. II. §. IIX. IOACHIMVS LANGIVS in medic. ment. L. II. c. II. & Dn. D. SCHNEIDER in fun-

fundam. philos. rational. c. II. §. VI. sq. conf. quae circa hanc materiam pro more suo egregie ineptit laruatus REALIS DE VIENNA ad THOMAS. philos. aul. c. VI. p. 185 sq.

CAP. VII.

De
Falsitate siue errore.

I.

QVod de veritate diximus maxima ex parte ad falsitatem applicabitur.

2. Hinc vt veritas logica & ethica ita & ab inuicem differunt falsum & falsiloquium: hoc vocamus, quoties mens & sermo non conueniunt, estque moralis considerationis: illud huc pertinet.

3. Est autem falsum aliud propositionis, quando subiecti & praedicati voces non conueniunt: aliud mentis, quando idea mentis a rei natura abit.

4. Hoc iterum vel in abstracto vel in concreto apparet: in abstracto est duarum idearum ab inuicem discrepantia: in concreto est idearum mentis & rerum externarum discrepantia. Illud huius caussa est, non hoc illius: illud falsum est per se: hoc falsum est in cognoscendo.

5. Ideae ab inuicem diſcrepant natura ſua, mens differt a rebus propter inconuenientem applicationem.

6. Ideae autem vel diſcrepant neceſſario, ita vt natura ſua alia aliam tollat, quales ſunt idea boni Viri & furis.

7. Vel eaedem ab inuicem abeunt contingenter & per accidens, ita vt nil impediat, quo minus aliquando data occaſione iungantur, vt Homo & auarus.

8. Si diſcrepant neceſſario; diſſonantia earundem certo cognoſcitur; ſin contingenter, falſitas quoque vero ſimiliter tantum oſtendetur.

9. Falſitas ſiue diſcrepantia idearum quandoque incurrit in ſenſus, vt ſi quis vniat ideam quadrupedis & ideam turdi.

10. Quandoque vero ex vniuerſali idearum nexu demum colligitur eadem.

11. Illud vel ſentitur per ſe, vel oſtenſione opus eſt: hoc vel itidem vel intelligitur per ſe, vel ratiocinando colligitur ſeu demonſtratur.

12. Datur itaque & falſitatis vltimum criterium, & primum, per quod demonſtratur, principium.

13. Sed non datur primum falſum, quod reliqua contineat in ſeſe: veritas enim vna eſt: aberrationum mille figurae.

14. Vltimum falſi oſtendendi criterium

terium idem est quod veri: scilicet, quicquid clare & distincte percipio non conuenire, illud si componatur, falsum est: v. g. si quis componat ideam ignis & humiditatis.

15. Eodem modo & idem falsi demonstrandi principium est: nihil simul esse & non esse.

Hoc confitentur etiam illi, qui alias principii huius vniuersalitatem negant. vid. cap. praeced.

16. Per quod enim cognosco, rem se hoc modo necessario habere, per illud etiam intelligo, quod aliter esse non possit.

17. Et negato contradictoriorum vno, affirmatur alterum: & contra.

18. Falsum autem, quamuis non omne contineatur in vno; tamen est aliquando vel generale vel speciale.

19. Generale est, quod cateruam errorum post se trahit: vt supposito: omnes Germanos esse truncos, atque de hoc valet: data vna absurditate, dantur mille.

20. Falsum speciale seu singulare est, quod circa certum quodpiam & peculiare obiectum versatur, vt si dicas: Socratem fuisse Atheum.

21. Generale prius tollendum, hoc enim auferet secum specialia plura: Cognito vno

vno cognoſcuntur multa: ſublato vno tolluntur multa, ſed non omnia.

22. Dixi modo falſum eſſe multiplex, verum vnum, hinc ſequitur: cognito vero, cognoſci falſum: & eum qui nouit vnam veritatem noſſe ſimul & per conſequentiam remouere omnes falſitates oppoſitas.

23. Aſt non valet contrarium: qui nouit omnes falſitates nouit etiam oppoſitam veritatem; quamuis enim id largiar in ideis neceſſario connexis, id tamen non valet in reliquis. Sic qui cognoſcit errores huius vel illius religionis, ideo non ſtatim cognoſcit quae ſit vera religio.

24. Vides hinc: in quo conueniant differantque veritas & falſitas: eodem modo falſitas ſe habet ad ignorantiam.

25. Conueniunt priuatione veri: & ignorantia & error carent veritate: ſed ignorantia eſt mera priuatio: error ſimul ponit contrarium.

26. Hinc ignorantia erit minus, error vero erit maius malum.

27. Hinc ignarus veritatis facilius ad illius cognitionem perducitur, prae illo, qui ſimul erroribus eſt immerſus.

28. Hinc quo citius quis ad emendandum intellectum appellit animum eo, facilius res procedit.

29. Diſ-

29. Differunt porro: Ignorantia nobiscum nascitur: error seu falsa cognitio aliunde suam nanciscitur originem

30. Omnis falsitas in concreto siue falsa cognitio oritur ex praecipitantia mentis.

31. Omnis praecipitatio mentis ex ambitione & inde orta nimia confidentia, aut ex voluptate siue potius eiusdem filia impatientia nascitur.

32. Hinc recte Cartesius ortum errorum ex voluntate deriuat. vid. *Princip. part. I.* & conf. si placet *Schediasma nostrum* von Verstand und Willen des Menschen. §. *LXI.*

33. Interim vt ignorantia, ita etiam falsitas non semper damnosa, sed aliquando indifferens, aliquando proficua esse potest. vid. *Dn. THOMASII* Grund-Lehren vor einen *Studios. Iuris. c. I.*

34. Obseruari hoc debet circa correctionem errorum, ordinemque emendationis.

35. Quod reliquum est, vt falsitates quaedam certo cognoscuntur; ita aliae tantum verosimiliter innotescunt.

36. Sed de his vna cum verosimili veritate iamiam coniungenda erit tractatio.

CAP. IIX.

De

Verosimili & dissimili.

I.

Cum utique nexum idearum mens nostra certo non percipiat; nascitur inde probabilitas seu verosimilitudo, & dissimilitudo, quae quasi inter veritatem & falsitatem certam interiacent.

2. Requiritur autem ad verosimile vt possit esse verum, tum & vt menti sub specie veri appareat.

3. Si plane non posset esse verum, esset necessario falsum: ita non est verosimile: hominem fieri asinum vel canem.

4. Quomodo autem quid dicetur verosimile, si plane a vero abludat?

5. Svnt qui praeterea in probabilitate actualem veritatem requirunt, sed illud mihi quidem videtur inconueniens, cum errores etiam vero apparere similes quotidiana doceat experientia.

6. Ergo verosimilitudo non tam in conuenientia idearum, quam in habitu mentis ad res ipsas consistit.

7. Verosimile semper consideratur in concreto, quatenus scilicet verosimilem cognitionem notat, & sic palam est etiam falsam cognitionem aliquando videri vero similem.

8. In abstracto verosimile est, quod possibile est, possibile vero neque verum neque falsum est.

9. Quaecunque itaque ideae contingenter possunt coniungi, de illis datur verosimilis cognitio.

10. Cum autem subinde possibilis idearum coniunctio non satis appareat, menti potius quaedam seiungendi easdem ratio suppetat, hinc enascitur vero dissimile, quod verum quidem esse potest, sed aliquando non videtur.

11. Ex quibus fontibus oritur verosimilitudo, ex illis etiam dissimilitudo deduci poterit.

12. Fundamentum vero omnis tum verosimilitudinis, tum dissimilitudinis posuimus in idearum coniungendarum vel separandarum conuenientia vel discrepantia.

13. Ea autem quae cognitionem verosimilem reddunt, vel versantur circa propositiones singulares vel circa vniuersales.

14. De

14. De vniuerfalibus funt regulae: 1. quarum idearum nexum natura rerum patitur, illarum coniunctio eft verofimilis: vt fi dicatur: Pauonem volitaffe per aethera.

15. 2. Quarum idearum harmoniam qualiscunque ratiocinatio oftendit, illa eft verofimilis v. g. fi aliquis vocetur doctus, quia frequentauit academias: huc pertinet praefumtio de eo quod fit vtplurimum.

16. De fingularibus idem faciet (α) Experientia noftra praecedens, v. g. fi quis iridis figuram arte repraefentatam fe vidiffe narret, illud verofimilius videtur illi, cuius experientia praecesfit, quam aliis, qui ne fando quidem tale quid audiuerunt.

17. Tandem (β) narratio aliena & teftimonium hominum praecipua folet exiftere verofimilitudinis ratio, vnde fides hiftorica nata eft.

18. Regulae vniuerfalium nituntur conceptu accidentali, fed pluribus fubiectis communi. vid. *Dn. THOMASII* Vernunfft-Lehre. *L. I. c. X. n. 52.*

19. Regulae fingularium fluunt ex doctrina de perceptione fingulari fuperius declarata.

20. Declarabo interim rem vlterius: quicquid eft per naturam rerum posfibile, illud eatenus quoque non eft improbabile.

bile. v. c. Constantinum M. fuisse Tyrannum.

21. Hinc sequitur: quo quis maiores progressus in cognoscenda rerum natura fecerit, eo verosimiliorem eius esse cognitionem circa easdem res.

22. Est & aliqua verosimilitudo, si quis rei substratae naturam superficiarie tantum noscat, sed est valde exigua.

23. Quicquid aliquali ratiocinatione modo non aperte sophistica nititur illud est probabile, vt si argumenteris: Sempronius est doctus, quia triennium in academiis consumpsit.

24. Pertinet huc inductio, quae est argumentatio a pluribus ad vnum, siue est collectio ideae ex parte vniuersalis sed accidentalis ex pluribus singularibus, eiusque ad ideam singularem aliam applicatio.

25. Quo rariora sunt exempla in contrarium, eo maior ex inductione hac oritur verosimilitudo, quo plura, eo magis eadem infirmatur.

26. Vides hinc, quod ratiocinatio circa probabilitatem duplex existat, vel enim ex idea vniuersali contingenter cum singulari connexa, vel ex pluribus ideis singularibus collectis & applicatis ad vnam argumentamur.

27. Illi ratiocinandi methodo inferuire vulgo putant locos, quos topicos & dialecticos appellant, quosque PETRI RAMI asseclae pene omnis argumentationis principia esse voluerunt.

28. Hoc vero, licet aliquem eorundem vsum non negem, oppido falsum est: si rem paulo altius inspiciamus.

29. Alii plures alii pauciores numerant: *ALLSTEDIVS logic. L. II.* rem fuse admodum pertractans sequentes enumerat locos 1. causae & causati. 2. Subiecti & adiuncti, 3. Antecedentis, consequentis & concomitantis. 4. Oppositi & diuersi. 5. Comparationis & disparationis. 6. Coniugatorum. 7. Totius & partis. 8. Generis & speciei. 9. Testimonii & testati.

30. Poterant addi & plures, sed res vtilitate esset caritura. conf. *Obs. sel. Halens. Tom. II. Obs. I.*

31. Interim Tyro iisdem vti poterit, vt reminiscentiae & aliquali ordini consulat: exercitati his talibus non indigent.

32. Praestat longe argumentatio inductionis cum debita attentione instituta, de qua prolixe & erudite agunt *VERVLAMIVS* in *organo* & *BAYERVS* in *Cynosura mentis*.

33. Debite autem instituitur, si vtriusque ideae, quae cum altera connecti debet, pro-

proprietates aliunde iam notae inuicem conferantur: oportet itaque illas prius nosse.

34. Hinc apparet nec verosimiliter recte differere eum, qui rem plane ignorat, in quo peccauit tum Scholasticorum tum Ramistarum logica, vtraque vanae loquentiae Magistra.

35. Valent haec circa propositiones constantes ex ideis vniuersalibus, circa singulares locum inuenit Experientia propria praecedens.

36. Talis est si audiam factum, quale autem iam ipse contigisse recordor,

37. Quo frequentius aliquid factum esse recordor, eo maior est probabilitas: & vice versa.

38. Quo certior est recordatio, eo maior est probabilitas & contra.

39. Quo magis conueniunt argumentum quaestionis & argumentum pristinae experientiae, eo maior nascitur probabilitas & contra.

40. Verosimilitudo, quae narratione aliena nititur, vocatur fides vocabulo & Theologis & ICtis, & Philosophis communi.

41. Theologis aliquando dicitur confidentia intellectualis, quam alii cerebrinam vocant, in Dei reuelatione quae cum

philosophorum fide in aliis doctrinis quodammodo conuenit.

41. Aliquando iisdem notat confidentiam cordis & voluntatis ortam ex opinione de alterius beneuolentia & coniuncta potentia: quo in sensu vocabulum venit, cum de fide saluifica quaeritur.

43. Talis est filii de amore Patris erga se persuasio, talisque erat fides Iobi, Ioannis, Pauli, aliorumque piorum de gratia diuina cordicitus certorum, sed linquamus hoc Theologis. vid. interim accurata *Dn. THOMASII* de *fide iuridica tractatio. c. I.*

44. Fides iuridica est determinatio assensus circa narrationem testimoniumque alicuius, Superioris autoritate iniuncta.

45. Talis adhibetur registraturis, archiuis, testibus duobus, iuramento, rei iudicatae &c. Sicque aliter iudicare dicuntur leges, aliter philosophi.

46. Fides philosophica & historica conueniunt, suntque verosimilis persuasio de rei alicuius existentia vel conuenientia cum rebus aliis.

47. Quatenus enim philosophica fides aliquando coecum notat assensum omnique ratione destituitur, eatenus non fides sed praeiudicium audit, de quo dicetur inferius.

48. Fi-

48. Fides haec philosophica etiam probabilem vniuersalium cognitionem comprehendit, de qua dixi superius *pos. XVIII. & seqq.*

49. Interim nil impedit, quo minus & circa singularia occupetur, quoad scilicet haec philosophicae considerationis sunt.

50. Historica semper versatur circa singularia, estque praesumtio veritatis circa actiones humanas & effectus naturales ex verosimili circumstantiarum connexione, & confidentia in alterius relatione orta. vid. doctissimus BIERLING in *diss. de iudicio historico. §. X.*

51. Nititur illa 1. notitia referentium. 2. monumentorum, quibus vtuntur integritate. 3. iusto & possibili circumstantiarum nexu.

52. Circa referentis personam distinguendum: an vnus tantum an plures quid referant? an integritatem alias probauerit an secus? an potuerit notitiam rei habuisse, an falso praetendat? an fuerit affectibus deditus an non?

53. Plurium, qui inuicem conferre non potuerunt, conueniens testimonium praestat quae narratione vnius.

54. Qui veritatis studiosum saepe se ostendit, ille & hactenus meretur praesumtionem, nisi aliunde adsit ratio dubitandi

55. Praesentia referentis circa negotium de quo quaeritur, facit praesumtionem notitiae: hinc Scriptores antiquiores prae recentibus in antiquis valent.

56. Qui alioquin notitiam suam probauit, in simili negotio maiorem prae aliis meretur fidem, & contrà contradictio historici eandem infirmat.

57. Affectus quam maxime impediunt probabilitatem hinc odio, amore, metuque vacare historicum iubet *CICERO L. II. de oratore c. XV.*

58. Vbi tamen scriptor contra affectum, quem alias non satis dissimulauit, loquitur veritatem haud dubie dixisse praeter intentionem credendus est.

59. Hinc inimici quoties laudant, amici quoties vituperant, narrationem produnt verosimilem.

60. Et ob eandem rationem historiae publicae vtplurimum verosimilitudine cedunt priuatis & arcanis seu anecdotis, si abstrahamus ab effectu iuridico, conf. *BIERLING in diss. citat. §. XIV.*

61. Circa res, quae referuntur, considerator possibilitas & connexio earundem antehac nota.

62. Hinc circa res naturales cognitio physica, circa actiones humanas philosophia

phia moralis fidei formant iudicium. Sed de his alibi.

43. Vt credo, ex notatis hactenus de verosimilitudinis ac dissimilitudinis ratione graduque diuerso constare poterit.

CAP. IX.

De

Diuersis rerum cognoscendarum speciebus: seu obiecto cognitionis.

I.

VT autem cognitio, quam formare nitimur, ordinata existat, iuuabit hic nexum earum rerum, quae in considerationem venire queunt, leuiter adumbrasse.

2. Opem ferre poterunt: *IO. CLERICVS in Ontologia*, *IO. AMOS COMENIVS* in *ianua rerum reserata*, *IO. BAYER* in *cynosura mentis Part. I. c. I.* & illustris *THOMASIVS* in *philos. aul. c. VII.*

3. Res hic sumitur generaliter, pro omni eo, quod est, dicitur, & cogitatur.

4. Omne itaque, quod concipi, vel de quo cogitari potest, est vel Ens vel non-Ens.

5. Non-entis nullae regulariter ſunt affectiones nulla praedicata ſcilicet vera & poſitiua.

6. Conſtat enim multa imo infinita de nihilo poſſe praedicari ſeu dici negatiue & remotiue.

7. Imo aliquando quaeſitum fuit, an nihil reuera exiſtat, an vero ſit mera priuatio. vid. *EILHARDI LVBINI tractatus hypermetaphyſicus de nihilo.*

8. Non-ens etiam vel plane nullibi, vel nullo modo exiſtit, vel eſt in ratione hominis.

9. Hinc nonens vel mere tale eſt, vel vocatur ens rationis, & hoc iterum in ens rationis ratiocinantis & ratiocinatae diſtinguitur vulgo.

10. Ens, quod caute loquentes, inſuper reale nominant, eſt id quod vere, & praeter conceptum hominis, exiſtit.

11. Huius conſideratur vel exiſtentia vel Eſſentia.

12. Exiſtentia eſt conceptus abſtractiuus, per quem cognoſco an res ſit.

13. Eſſentia eſt conceptus abſtractiuus, per quem cognoſco, quid res ſit.

14. Vna eſt rerum omnium exiſtentia: eſſentiae tot concipi poſſunt, quot ſunt res.

15. Ra-

15. Ratione existentiae itaque omnia, quae existunt conueniunt.

16. Huc pertinet generalis omnis cognitionis regula: quodlibet quod existit, non potest simul non existere, vel: nihil simul est & non est.

17. Ratione essentiae res sunt vel substantiae vel accidentia siue modi.

18. Substantia in abstracto considerata, non poterit aliter definiri, quam quod sit: Ens per se subsistens & aliis entibus existentiam largiri valens.

19. Per se subsistere idem est, ac non dependere in esse suo a re aliena.

20. Existentiam largiri aliis, alii dicunt sustinere accidentia.

21. Substantia in concreto abstrusa manet, nosque non nisi modos rerum cognoscimus.

vid. Dn. THOMAS. quaest. iurid. philos: quid sit substantia? conf. CLERICVS in log. c. III. quibus hactenus a contra sentientibus non est satisfactum.

22. Sunt autem substantiae vel visibiles & materiales vel inuisibiles & immateriales: materiales corpora; immateriales spiritus vocant.

23. Spiritus existunt vel cum vel sine materia.

24. Sine materia existit Spirituum Spiritus, quem DEVM vocamus.

25. An dentur Spiritus alii, sine corporibus existentes rationi incognitum est, nisi quod illos inter entia possibilia referenda eadem suadeat.

26. Spiritum mundi, qui asserunt, eundem cum materia existere aiunt.

27. Spiritus hominis regulariter existit in corpore, ad quod coordinatus est.

28. Inter res materiales homini occurrunt vel corpus proprium, vel mundus.

29. Mundus continet vel corpora motu praedita, vel ad sensum quiescentia.

30. Suntque iterum vel simplicia vel composita.

31. Ad sensum copora vel in coelo apparent, vel nos in terra circumstant.

32. Haec sunt vel animata vel inanimata, illa vel lucida vel opaca, de his Astronomia, de illis physica differit.

33. Accidentia sunt modi per se existere inepti, aliisque rebus natura sua inhaerentes.

34. Modi sunt vel sensuales vel ideales.

35. Sensuales modi sunt exteriores substantiarum singularium modificationes seu qualitates.

36.Per-

36. Pertinent huc motus, quies ratione loci & temporis;

37. Motus autem est vel actiuus vel passiuus.

38. Pertinent etiam huc relationes rerum ad se inuicem, vt magnitudo & paruitas, multitudo & vnitas, & quae sunt alia.

39. Modi ideales sunt relationes variarum substantiarum ad se inuicem, quae mente saltem concipiuntur, pluribusque conueniunt.

40. Hinc res dicitur vel causa, a qua res alia dependet quodammodo, vel causatum, quod ab illa dependet.

41. Dependere aliquid dicitur vel in fiendo, vel in essendo, vel in cognoscendo.

42. Et hinc etiam quid principium & principiatum significent constare potest.

43. Causae numerantur: materia, efficiens, forma, finis, quibus opponuntur: materiatum, effectus, formatum, finitum, siue id quod intentio assequitur.

44. Cum autem res omnes vel conueniant secum, vel pugnent, inde aliud est idem, aliud diuersum, aliud est contrarium, aliud conueniens.

45. Quae inuicem conueniunt sibi inuicem bona, quae non conueniunt mala dicuntur.

46. Bo-

46. Bonitas ſi rem ſpectes vna eſt, ſi conceptus philoſophantium alia eſt honeſtatis, alia vtilitatis, alia iucunditatis.

47. Haec itaque in mundo Cognitionis ſtudioſo obuenientia qui conſiderat, ille cognoſcere debet: 1. quae ſint res? 2. quid illae ſint? 3. ex quibus illae conſtent? 4. & quomodo debeant vſurpari.

48. Habes itaque quae cognoſci poſſint, & quid de iis cognoſci debeat, quae ſi ſuperioribus de modis cognoſcendi iungas his mihi generalia & communia omnis veritatis cognoſcendae perpendendae & communicandae principia abſolui videntur.

49. Antequam tamen hinc diſcedamus, reſtat vt ea quae cognitionem humanam vtplurimum impedire ſolent, diſtinctius videamus: ſi velimus de eorundem remotione ſalutares concipere cogitationes.

Cap. X.

De

Cognitionis impedimentis.

1.

Impedimenta humanae cognitionis, partim in rebus cognoſcendis, partim

tim in hominibus ipsis, partim in rebus aliis concurrentibus existunt.

2. Impediunt autem cognitionis vel veritatem vel certitudinem, vel claritatem, vel accurationem.

3. Inter illa, quae in rebus cognoscendis existunt eminet: *Rerum absentia* siue remotior obiecti cognoscendi ab intellectu vel sensu constitutio.

4. A sensu abest, quicquid in idea vniuersali cognoscitur, vt Deus qui spectatur sub Entis summi; seuCausae primae idea.

5. Ab intellectu abest quicquid singulariter & sensu cognoscitur: ita ab intellectu actiuo siue iudicio mentis abest: odor rosae.

6. Interim ea, quae sensu percipiuntur, possunt intellectui sisti praesentia, sed non vice versa.

7. Sunt etiam quaedam ab vtroque aliena, vt e. g. Constantini Pietas & Impietas.

8. Absentia vero modo totalis modo partialis existit: illa nullam haec imperfectam admittit cognitionem.

9. Hinc statim Impedimentis addenda: *nimia Obiecti distantia*, quae pene eadem admittit praedicata.

10. Hinc incerta vel etiam obscura saepe est hominum cognitio, hincque euitandae de rebus nimis distantibus disceptationes.

Vul-

Vulgo dicunt. In die Ferne leugt sichs gut *& hinc prouenit, quod plurimi eruditorum ex phantasiae propriae somniis multa afferant, quae licet fundamentis careant, tamen ab aliis solide confutari nequeunt. Talis v. c. est opinio THEOPHRASTI PARACELSI in archidoxis de viruncculis metallicis & spiritibus intermediis, & huc collimebat ingeniosum Molitoris Galli coram Rege Franciae de numero stellarum responsum ap. SCHVPPIVM* im Regenten-Spiegel, *c. IV. & vid. exempla plura in Dn. D. TREVNERI diss. de somniis vigilantium.*

11. Distat autem hoc modo a sensu nimium Saturnus, ab intellectu res distare dicitur, cuius veritas cum principio primo multis aliis veritatibus demum mediantibus connectitur.

12. Impedit porro: *Nimia rei propinquitas* tum sensus, tum intellectus.

13. Ita oculi litteris propius appositi obtunduntur: intellectus vniuersalissima principia nimium speculans quandoque quasi nimio lumine ad coecitatem vsque percellitur.

14. Inde enim prouenit, crassa quorundam de veritatibus dubitatio, quod rationem quaerant, vbi ob euidentiam dari nulla potest.

15. Meretur quoque huc referri *sub-*

tilitas

bilitas vel sensum vel intellectum excedens: qualis est Atomi, Spiritus, idearum simplicium.

16. *Motus etiam obiecti & inconstantia* huc pertinet: hinc difficilior cognitu aqua est prae terra: Angeli prae Deo.

17. Imo etiam nimia obiecti Extensio & diffusio difficultatem parit: ita infiniti Dei difficilis cognitio.

18. Eodem modo Commixtio vel coniunctio plurium rerum confusionem inducit impeditque cognitionem distinctam, vt in odoribus coniunctis.

19. In homine ipso repeřiuntur itidem varia Impedimenta cognitionis, quae vel a corporis habitu vel a mentis in congrua constitutione pendent.

20. Sic a corporis & praecipue cerebri constitutione pendet *naturalis mentis hebetudo*.

21. Talis an etiam in mente detur, ex causis spiritualibus deducenda, Ego quidem nescio.

22. Corporali autem defectu impeditur mens in cognoscendo, si nimio calore agitetur cerebrum indeque cognitio confusa & praecipitata sequitur: imo aliquando ideae plane dispelluntur, adeo vt & iudicii & memoriae defectus simul appareat.

23. Eadem est ratio, si caloris defe-

ctus

ctus sit ingens: sic enim cognitio erit tardior, ingeniumque deficiet.

24. Ita & ingenium impeditur, vbi cerebrum nimia laborat siccitate.

25. Memoriae hebetudo partim ex nimia siccitate partim etiam ex nimia humiditate, partim ex nimio calore nascitur.

26. Ab his differt: stupor, fatuitas, furor similesque morbi, qui omnem cognitionis accuratioris modum excludunt:

27. His morbis medelam adferent physicorum & medicorum consiliae: nos saltem a reliquis separare debuimus eosdem.

28. Referunt aliqui huc quoque *mentis humanae angustiam*, sed haec omitti poterit, cum superius extensionem rerum absentiamque inter impedimenta rebus ipsis adhaerentia retulerimus: interim non disputo; an visus sit in oculo, an in re spectata.

29. Quae a mente proxime pendent vel immediate ex intellectu, vel ex voluntate procedunt impedimenta.

30. Illa dicimus praeiudicia i. e. praecipitata iudicia, de re non satis intellecta.

31. Hinc licet omne praeiudicium possit esse erroris causa, semperque aliqua ex parte falso iudicet, tamen committitur non tantum circa theses falsas, sed etiam veras.

32. Qui-

31. Quilibet enim committit praeiudicium, siue praecipitanter iudicat, qui rem veram vel falsam credit, antequam de veritate vel falsitate satis constet.

33. Causa praeiudiciorum semper est in voluntate quae vel impatientia, vel amore, vel odio intellectum ad iudicium praeceps ferendum impellit. conf. Schediasma nostrum vom Willen und Verstande.

34. Speciatim praeiudicia vel ex nimia confidentia vel ex nimia diffidentia oriuntur.

35. Vtraque partim erga se ipsum partim erga alios se exerit.

36. Atque ad has praeiudiciorum classes omnia reliqua referri poterunt: poteris itaque adscribere praeiudicia praecipitantiae, autoritatis, electae hypotheseos, contradictionis, impatientiae, imitationis, pertinaciae, antiquitatis, nouitatis, & non ero contrarius.

37. Sufficit mihi, quod omnium nominum praeiudicia ex dictis fontibus procedant, singulaque veritatis cognitioni variis modis officiant.

38. Qui aliis nimium diffidit, ille cognitionis suae terminos nunquam late extollere poterit.

39. Si diffidat sibi ipsi & ignorantiae & scepticismo immergetur.

40. Contra qui sibi nimium confidit, ille incerta pro certis, obscura pro claris habebit.

41. Et qui aliis nimium confidit, ille errori semper proximus manet, seque ab omni solidiori cognitione ipsemet excludit.

42. Atque hinc ignorantia continuata, error, confusio, dubitatio, obscuritas, cognitio superficiaria, & quae sunt alia, vt plurimum pendent.

43. Voluntati propria est negligentia, contemptus rerum quotidianarum, neglectus rerum ad animum pertinentium, quorum illa voluptuosis, iste ambitiosis, hic auaris recte tribuitur.

44. Verum haec consideratio ad philosophiam morum potius spectat, itaque hic eadem indicasse sufficiet.

45. Obstant denique ea quoque impedimenta, quae in rebus extra nos positis, itemque a rebus considerandis alienis se nobis offerunt, inter quae primum est: Stulta Parentum Praeceptorumque educatio.

46. Pertinet huc quoque: mira disciplinarum confusio, & praepostera discendi

di docendique methodus, vulgo a verbis ad res progrediens.

47. Nec minus ſtulta de eruditione perſuaſio, quae vulgo regnat, hic in cenſum veniet.

48. Imo coincidunt: multitudo librorum, multitudo eruditorum, ſcholarum, Academiarum, inſtituta inueterata, diſtinctio facultatum, ſtatus eruditorum, & alia de quibus latius diſſerui in diſſ. de impedimentis ſapientiae.

49. Emendatio eorundem vel remotio non tam doctrinae quam fortunae plerumque eſt, ideoque circa haec conſilia logica fruſtra expectabis.

LIBER II.

De
Negotiis logicis singularibus.

CAPVT I.

De
Remotione impedimentorum.

1.

p. 93 DIctum est, cognitionis impedimenta vel in rebus externis concurrentibus, vel in rebus cognoscendis, vel in ipso homine esse quaerenda.

2. Priorum remotio aut ad Imperantium aut ad docentium prudentiam spectat: illis vero doctrina politica, quae de ratione status praecipit, his doctrina logica, quam aliqui traditiuam vel didacticam vocant, regulas suppeditabit.

3. De reliquis vero, quae vel in homine ipso vel in rebus cognoscendis se offerunt, nunc est agendi locus: prima itaque praxeos logicae cura esto: Vt mens sit sana in corpore sano.

4. De Corporis sanitate consilia suppeditabunt medici. Interim non in congruum erit legisse *BONTEKOE tractatum de vita humana* vel *Dn. D. RICHTERS tractatum de sanitate & praecipue Dn. de TSCHIRNHAUSEN medicinam corporis*, nec non *Dn. M. GENTZKEN* in der Anleitung glücklich zu leben. *c. IV. p. 2.*

5. Praecipue vero somni, cibi, potus, motusque conuenientis habenda est ratio, multumque interest, vtrum quis ad cognoscendum vel somnolentus, vel alacris, vel pleno ventre, vel ieiunus, vel potu plenus, vel plane siccus, vel laboribus delassatus vel spiritibus in motum agitatis accedat.

6. Itaque ad cognoscendam quaerendamque veritatem non nisi spiritibus animalibus bene habentibus otiosis, atque in motum ordinarium agitatis accedas.

7. Curandum porro, vt organa sensuum recte se habeant, vel vt iis debita & conuenientia quaerantur auxilia.

8. Hinc cauenda, quaecunque sensuum officia turbare apta sunt, vt libido venerea, ebrietas, nimius labor &c.

9. Illi vero qui naturali mentis hebetudine laborant, mechanicis potius incumbent artibus, contenti si ea quae vitae quotidianae sunt, cognoscant, reliqua, quae altioris existunt indaginis aliis potius relinquentes.

10. Reliqui vero perpendent probe, quanam intellectus facultate praecipue polleant, indeque iudicium, ingenium, & memoriam paribus applicabunt negotiis.

11. Imo danda erit opera: vt facultates dictae diuersis modis mixtae sibimet inuicem subueniant, quam in rem facient: lauta passionum moralium excitatio vel depressio: Scriptorum siue iudicium siue ingenium singulare ostendentium lectio, conuersatio cum variis: exercitationes cuilibet facultati conuenientes; quae omnia sagax sinceri Doctoris prudentia moderabitur.

12. Praecipua vero cura circa praeiudicia versabitur, partim vt eorum effectus errores scilicet inde orti tollantur, partim vt fontes obstruantur.

13. Sapientiae pars est velle sapere: praeiudicia erroresque facile auferentur, si modo serio quis eorum fugam mente concipiet: Sedulo itaque, sincere, atque serio nec nimis sero quicunque huc venerit, quaerat veritatem!

14. Hoc vt fiat circumspiciendum est parum in scholis, libris, tabernis, videndumque quantae sint vulgi pariter ac eruditorum dissidentium inter se opiniones.

Faciet huc & quotidianae conuersationis experientia, & historia artium ac disciplinarum, qua nihil efficacius ad cognoscenda praeiudicia

opera-

operatur. conf. quae de eius vtilitate habet Dn. BIERLING in diss. de iudicio historico & si placet dissertatio nostra de studio historiae philosophicae in Academ. Ienens. ventilata.

15. Diximus autem superius: errores esse infinitos, vnicam tantum esse veritatem: Cum itaque contradictoria simul non sint vera, & tamen in infinitum ab inuicem abeant hominum opiniones, inde sponte sua sequitur: quod plurimi mortalium in errore versentur.

16. Ergo sine dubio aliquando fefellerunt nos alii, quibus praecipitem adhibuimus fidem, imo & nos alios, & cum iis, nos ipsos exposuimus ludibrio: itaque pristinae repetendae erunt cogitationes & vt verbo dicam: *dubitandum* est: quod voluisse videntur, qui perplexitatem sapientiae matrem dixerunt.

Ingressi sunt hac via omnes, qui veritatem sectati sunt, Philosophi. quod de antiquis erudite ostendit M. WITTER in diss. de dubitatione via ad veritatem, Helmstadii. a. 1705. habita: adeo vt quis non sine ratione miretur, qui factum fuerit quod Cartesius vel hac vnica ex ratione nostris tam exosus fuerit, vt IO. CLAVBERGIVS integro tractatu illius dubitationem defendere necesse habuerit. Sit enim, quod non negamus illum dubitationem aliquando latius, quam par erat, extendisse, caput rei

tamen, de qua disceptatum inter illam & adversarios non nouum est, sed potius communis vere philosophantium semita.

17. Vt autem veritatis studiosus optatum finem consequatur, haec dubitatio 1. non sit passiua tantum sed etiam actiua id est data opera instituta.

18. 2. Non sit negatiua, qualem Cartesio tribuebant Aduersarii, sed mera iudicii suspensio.

19. 3. Non sit sceptica & aeterna, quae omni cognitioni infesta est, sed temporaria & eclectica. conf. *Dn. THOMASII introd. in philos. aul. c. VI. §. 12. & Dn. TITIVS in arte cogitandi c. III. §. 59.*

20. 4. Non sit de principio primo, aut rebus euidentia sensuum claris, sed de conclusionibus cum principio connectendis, & quaestionibus demonstrationem ferentibus.

Sic stultum est dubitare velle: (α) an aliquid simul sit & non sit. (β) an vigilemus, an dies, sit &c. Exempla plura veritatum, in quas non cadit disputatio nec dubitatio vid. apud THOMASIVM in der Vernunft-Lehre. *Part. I. c. V. §. 7. 8. Stultum enim esset descendere de monte, cognitionis gratia, quod mons sit mons, eumque denuo ascendere. Interim circa principium primum poteris etiam dubitare de eius vniuersalitate, licet non de veritate.*

21. 5. Vn-

21. 5. Vnde consequitur nec debere esse vniuersalem sed particularem, & de iis tantum, quarum primo intuitu nulla obuenit menti euidentia.

Hic iterum excessum commisit Cartesius, idcirco notatus THOMASIO in introd. ad philos. aul. c. VI. qui & vlterius, cum ex illis vniversalem commendare dubitationem videri posset, mentem suam declarauit in der Vernunft-Lehre. *L. II. c. I. Cartesium quoad dubitationem circa sensualia defendere conatus est RHEGENIVS in specimine Logicae Cartesianae c. XIII. p. 274. qui vero & statum controuersiae paululum immutat, & praeterea rem non probat sed simili allato tantum illustrat. Defendit etiam vniuersalem dubitationem TITIVS c. III. §. 64. sed nullam attulit rationem, quae id suadeat. Qui omnem abiicit veritatem vt separatim rursus quaerat, similis videtur illi, qui margaritas cum stercoribus abiicit in viam publicam, vt inde separatim easdem & ordine possit repetere.*

22. Sic instituta dubitatio sobriam quandam progignet, & erga Te & erga alios diffidentiam, excitabit incitabitque & perficiet iudicium, ac commodum veritati quaerendae parabit locum.

23. Vt vero etiam in posterum obviam eatur praeiudiciorum stultitiae cogitandum est:

1. Neminem adeo vesanae mentis esse, vt non aliquando dixerit veritatem.

2. Nec vllam tam diuini esse ingenii, vt non quandoque errare possit.

24. Impedimenta, quae in rebus ipsis apparent remouebuntur (α) si curetur, vt res sint praesentes.

25. Praesentes autem esse possunt vel approximatione ad sensus siue criterium veritatis, vel ad mentis ideas, sive principium demonstrandi.

26. Haec approximatio differt gradu, itaque quo propius res sistitur, eo perfectior euadet cognitio.

27. In rebus sensualibus opera ferent instrumenta arte facta, quae inseruiunt vel resolutioni, vel dissolutioni, vel attractioni.

28. In rebus intellectualibus mera sufficit attentio, cum ratiocinatione, de qua inferius.

29. Curandum (β) vt res sint praesentes in debita distantia, nec nimis e longinquo, nec nimis propinque apparentes.

30. Hanc distantiam debitam non aliter inuenies ac focum speculi caustici, tentando scilicet, & rem modo huc modo illuc vertendo, vbi facile erit videre, quando res propius accedat, vel quando auertatur.

Criterium dari non potest, quia homines quoad sensuum perfectionem infinitis modis differunt, & praeterea propria euidentia optimum iudicium existit.

31. Si etiam ipsum solis lumen ferre non possis, contemplari poteris in speculo; sique principia generaliora huc illucue vertere difficultate laboret, meditare quae inde sequuntur.

32. Hinc pendet cognitio, quam vulgo a posteriori vocant & methodus disputandi scholae megaricae consueta, quam erudita dissertatione Ienae Dn. M. GVNTHER illustrauit.

33. Quaerendum dein erit, (γ) vt res sint ad cognoscendum iusta proportione conformatae.

34. Erunt vero tales, si non nimium subtiles vel infinitae: si hae sint, in cassum laboratur.

35. Ad euitandam confusionem necessum est (δ) vt quaelibet res exhibeatur sola & in abstractione.

36. Abstractio est actus mentis, quo ideas singulares aliis iunctas, ab iisdem separamus separatimque consideramus: vt quando Diogenis philosophiam considero, non quatenus in Diogene, sed quatenus in omnium ratione versatur.

37. Denique (5) danda eſt opera, vt res appareant quoad ſingulas earundem ſpecies partesque.

38. Species apparebunt meditatione generis; in partes vero ſingulatim erit inquirendum.

39. Praecipue opus eſt vt ideas eſſentiales ab accidentalibus, partes integrantes ſecernas a reliquis.

40. Vno verbo: oportet res cognoſcendas obiter curſorio quaſi luſtrare oculo, antequam illas interius rimari tentes.

41. Reliqua clariora fient, viſis praeceptis logicis, quae ſe ſuo in ſubſequentibus ordine ſequentur, vbi de mediis cognoſcendi dicendum erit.

Cap. II.

De

Cognitione ſenſuali ſiue experientia.

1.

Omnis cognitio ſine dubio a ſenſu incipit, omnisque homo naturaliter prius ſentit quam ratiocinatur & loquitur.

2. Hinc nihil (excepta idea contrarieta-

rietatis, de qua supra) est in intellectu, quod non quodammodo prius fuerit in sensu.

3. Dico: *quodammodo*, aliter enim fuit in sensu idea plantae, aliter pietatis, spiritus: *illa* cum concreto: *haec* ordinario non nisi per abstractionem. vid. *THOMAS. de prud. cog. c. III. §. 34. & c V. §. 34.*

4. Ergo ineptiae sunt notitiae insitae & habitus connati Theologiae scholasticae, nisi dicantur tantum adesse in potentia, vti docuerunt *B. MVSAEVS* & *B. BAYERVS in comp. theolog. pos. c. I.* conf. *THOMASII* Iurisprudentia *diu. c. I.* & prudentia cogitandi. *c. V. §. 35.*

Dubia hic mouet TITIVS in art. cog. c. II. §. 8. sqq. verum notata superius allata limitatione amplius non dissentit, quamuis videri voluerit.

5. Differunt autem sensio, sensus, sensualis cognitio, quamuis vocabulum sensus aliquando etiam promiscue de omnibus dicatur.

6. Sensio est facultas mentis res externe oblatas recipiendi, & quasi principium.

7. Sensus est externum instrumentum corporis, cuius fabrica ministerium ferente menti res accommodantur.

8. Sensualis perceptio est effectus sensionis siue cognitio ministerio sensus producta. 9. Sen-

9. Sensio nec fallit nec fallitur, sed mere patitur, & receptionem admittit.

10. Hinc recte de eadem asserit Epicurus, quod nunquam fallatur. *vid.* GASSENDVS *in Syntagm. part. I. c. II. can. I.*

11. Sensus non fallit nec fallitur, occasionem tamen errandi suppeditat.

12. Error enim iudicio constat: sensus vero non iudicat, sed est saltem instrumentum perceptionis ad iudicium mentis deferendae.

13. Praeterea sensus tantum percipit existentiam: semper autem aliquid est siue existit, id quod sensui sistitur. *vid.* THOMAS. *prud. cog. c. V. §. 31.*

14. Interim errori praebet occasionem, si sit mutilus, vel quocunque modo corruptus.

15. Atque de hoc forte intelligendus est CARTESIVS quando de fallaciis sensuum differit *medit. I. & III. nec non in princip. part. I. n. 4. & diss. de methodo.*

16. Differunt autem fallere & occasionem fallendi praebere, vti differt fur & seruus præ negligentia fores non occludens, vel vt differunt homo errandi viam monstrans, & signum aliquod indifferens, quo quis erroneus ad aberrandum a via abvtitur.

17. Hinc

17. Hinc stulta est censura *REALIS DE VIENNA in discurs. ad THOMAS. prud. log. p. 172.*

18. Hinc etiam coincidunt quae incongrue pro CARTESIO disputat RHEGENIVS *in specim. log. CARTES. c. V. p. 82. sq.*

19. Sensualis perceptio vero vtique errare potest, sed nec hic erroris causa est sensus, sed praecipitatum mentis de sensu iudicium.

20. Vera autem tunc erit habenda, si menti constiterit interne de sensus euidentia. vid. *GASSENDVS l. c. can. III. & IV.*

21. Ex aliquot repetitis perceptionibus sensualibus tum internis tum externis nascitur experientia.

22. Experientia saepius repetita gignit inductionem, quam tantopere in studio philosophiae naturalis commendat VERVLAMIVS & BAYERVS saepius citatus.

23. Vt haec recte se habeant, necessum est prius antequam iudicium mentis accedat, remoueri omnia sensuum impedimenta capite superiori indicata.

24. De caetero circa experientiam regulis vix opus est, modo notetur: experientiam esse cognitionem euidentem & in se certam.

25. Sed tamen Experientia nouam cognitionem, quam producit, tantum gignit proba-

probabilem. Scilicet vbi ex singulari experientia vniuersalium inferimus veritatem.

26. Hinc pendet regula: exempla & experimenta non probare, sed illustrare.

conf. quae habet THOMASIVS im Versuch vom Wesen des Geistes. *c. I. & inde iudica de certitudine doctrinae physicae, quam vulgo iactant, & quam optime reiecerunt in physicis suis* CLERICVS *&* BVDDEVS.

27. Nec enim inductio est argumentatio demonstratiua sed probabilis.

28. Interim idcirco non contemnenda, monitum enim est ab aliis iam diu: aliquando veritatem probabilem praestare prae certa. *vid Dn. D.* BVDDEVS *in philos. instrum. part. I. c. III.*

29. Idcirco experiundi occasio apprehendenda est, quoties occurrit: occurret autem quotidie, & quorsum te siue intra te ipsum siue extra te vertas.

30. Experimenta tamen circa nosmet ipsos praeferenda alienis.

Loquimur de experimentis quietis; alias enim optime obseruauit CLERICVS: *experimenta ex vehementioribus sensationibus orta impedire potius quam iuuare veritatis cognitionem. vid. Log. part. III. c. III. §. 8.*

31. Itidem experimenta sumtuosa magis luxui & curiositati quam verae sapientiae inseruiunt, quamuis haec illa non plane respuat.

32. Experimenta tutiora quoque eligenda prae iis, quae cum humano periculo coniuncta sunt.

33. Maximum vero experientiae adiumentum est patientia indefessa.

34. Inseruit insuper Experientiae parallelismus rerum, vbi similitudo casuum confertur.

35. Imo ni fallor totum experimenta tentandi artificium conficitur (α) res sensui obversantes resoluendo. (β) easdem componendo cum aliis. (γ) comparando cum similibus.

36. Oportet tamen haec omnia fieri ordine, procedendo gradatim a primis ad vltima, a cognitis ad incognita.

CAP. III.

De

Meditatione: eiusque partibus, definitione, & diuisione.

1.

Cognitis sensu experientiaque singularibus mens attollitur ad vniuersalia, ac cum iis vel iam perceptas veritates connectit, vel ex iisdem deducit hactenus incognitas, quod meditari dicimus.

2. Est itaque meditatio presse dicta actus mentis veritates singulares cum vniuersalibus conferendi, nouasque ex iisdem deducendi.

3. Dico: *actus mentis*, in eo enim differt ab experientia, quae maxima ex parte non tam actiua quam passiua existit.

4. Finis meditationis duplex esse potest, vel incognitae veritatis detectio, vel cognitae certior confirmatio.

5. Vnde methodus meditandi quoque duplex constituitur: analytica & synthetica, vti his vocabulis congrue vtitur *CLERICVS, part. III. Log. c. I. sqq.*

6. Putant analyticam methodum inventioni, syntheticam communicationi veritatis inseruire: sed qui rem curatius perpendet experieturque, ille insignem vtriusque in vtroque negotio vsum facile perspiciet.

7. Enimuero, tum in docendo tum in discendo progredi licet, partim a singularibus ad vniuersalia, partim ab vniuersalibus ad singularia.

8. Analytica autem meditatio a particulari veritate ad magis vniuersalem, synthetica ab vniuersali ad particularem progreditur.

9. Si res nondum satis liquet, addam definitionem ad captum eorum qui vulgaribus

ribus libellis logicis assueti sunt: Analytica particularium thesium rationes vocabulo *quare?* quaerit, synthetica ex thesi sat cognita concludit ad veritatem alterius vocabulo *Ergo.*

Sic analytice meditatur, qui cogitat: an DEVS interno obsequio sit colendus? & Resp. quia Conseruator est colendus: hoc vero quia conseruatio supponit finem, hic enim alius concipi nequit in creatura intellectu & voluntate praedita. hic supponendus, quia Conseruator credendus est sapiens, hoc quia est ens perfectissimum: hoc, quia est causa prima omnium rerum: aliàs enim & simul esset & simul non esset: siue esset DEVS & non esset DEVS.

E contrario synthetice proceditur sequenti modo: Nihil simul est & non est. Ergo posito effectu ponitur causa. Ergo posito mundo ponitur causa vniuersalis omnium rerum. Ergo datur DEVS. Ergo datur ens perfectissimum: Ergo hoc ens est sapiens. Ergo suarum operationum finem intendit. Ergo intendit obsequium: Ergo est colendus.

10. Vtimur autem methodo vtraque tum in veritatibus certis, tum in thesibus verosimilibus cognoscendis.

11. Circa verosimilia nulla subest difficultas, cum sufficiat si duarum idearum connexio possibilis saltem existat.

Adiiciam interim exempla, primum est si dicas: Socrates fuit felix, quia fuit sapiens, fuit sapiens, quia didicit artes & Philosophiam; didicisse eum has constat, quia professus est. Alterum hoc cape: Pii sunt beati, ergo sapientes sunt beati, ergo Philosophi sunt beati, ergo Socrates est beatus.

12. Sed alia ratio est veritatum certo cognoscibilium vnde quaelibet methodus suis vtitur regulis, aliquando & vtraque iisdem.

13. Vtraque methodus progredi debet a cognitis ad minus cognita.

14. Vtraque ratiocinatur tantum de iis, quorum clarae mentibus nostris obuersantur ideae; vel etiam de rebus aliquatenus obscuris, quoad nobis notae sunt.

15. Vtraque requirit vt nulli assensus praebeatur propositioni, quae non sit euidens.

16. Vtraque in vno quoque progressionis gradu requirit propositionis consequentis cum antecedente euidentem necessariamque connexionem.

Ita recte cohaerent hae duae propositiones: Humana anima pollet intellectu & voluntate, ergo & anima Cartesii pollet intellectu & voluntate.

17. Vtraque denique colligit veritates, ex idearum collatione, vel separatione.

18. Sic

18. Sic obiectum meditationis est quaestio constans ex duabus ideis, quarum relationem quam vel inter se, vel ad alias ideas habent, ignoramus.

19. Circa has ideas meditando mens nihil aliud agit, quam quod quamlibet earundem separatim considerat, vt si quaeram: An homo sit animal miserum? Separatim sub incudem vocandae erunt idea *miseriae*, idea *animalis*, & idea *hominis*.

20. Ergo circa hoc meditationis negotium, omne ferent punctum definitio & diuisio. *Illa* ideas quaestionis cum aliis confert, *haec* easdem ab aliis separat.

21. Definitio est vel circa nomen, vel circa rem occupata.

22. Circa nomen occupantur definitiones nominum, & nominales, illae nihil aliud sunt, quam explicationes mentis nostrae, vocibus quibusdam diuersimode vtentis: Hae resolutionem vocis, quae rem de qua agimus, denotat, continent.

Sic definio nomen, quoties eloquor quod verbi causa sub voce corporis intelligam & tales definitiones sunt eorum, plerumque, qui methodo mathematica vtuntur, quod institutum ad euitandas logomachias & cauillationes apprime vtile est. Rem vero nominaliter definire dicor, quoties in originem alicuius vocis, vel significationem inquiro, vt cum quaero, vnde dicatur

conscientia? & quotuplex sit eiusdem significatus?

23. Definitio nominis toties necessaria est, quoties in sermocinando ab vsu communi recedimus, ita necessario Grotius debuit definire Iustitiam attributricem.

24. Imo tale nomen eo vsque definiendum erit, donec nos cum iis, coram quibus verba facimus, sensu nos conuenire, deprehendamus.

25. Maior eius vsus est in veritate, cum aliis communicanda, vel ab aliis hauriendа, quam in iis quae per nos ipsos cognoscimus.

Sic recte in disputando, olim quaerere solebat Beatus ERHARDVS WEIGELIVS: Quomodo vteris vocabulo?

26. Definitio nominalis, vel vocis originem, vel eius varium significatum, vel eiusdem cum aliis vocibus conuenientiam euoluit. Illa dicitur Etymologia, ista Homonymia, haec Synonymia.

27. Etymologiae aliquando vsus esse potest, in inueniendis argumentis Dialecticis, seu probabilibus, nec non in aliorum scriptis explicandis. Sed dico aliquando, & raro.

28. Hinc quidem ineptiunt qui vbique hos allegant flosculos, puerulis formandis, quam libris scribendis, aptiores. Adde-

rem

rem hic Triboniani & Sequacium illustria exempla, nisi alias nota essent in vulgus.

29. Homonymiae vero & aequiuocationis euolutio vitilitigiis vitandis quammaxime necessaria est.

Qualem hoc negotium praestet vsum optime suo exemplo docuerunt THOMASIVS in der Ausübung der Sitten-Lehre *Cap.* von der Wollust. *in diss. variis speciatim de fide iurid. pietate iurid, &c. & TITIVS in arte cogitandi, Iuris Ecclesiast. & feudal. specim. nec non in obs. ad PVFEND. de off. H. & C. Pertinet etiam aliquatenus huc tractatus superius laudatus doctissimi WERENFELSI de logomachiis eruditorum qui exempla ex antiquorum Philosophorum suppeditabit dissidiis.*

30. Pertinet tamen haec cura magis ad Grammaticos, & Lexicorum Scriptores, non ad Philosophum qui circa res non verba occupatur, sed tantum hisce ad illarum declarationem tanquam instrumentis vtitur.

Interim hinc patet locum hic esse vsumque lexicis Philosophicis, quibus ideae Philosophicae explicantur, quae quidem hactenus poterant desiderari, cum praeter ALSTEDII, CHAVVINI & MICRAELI labores, vix quicquam suppetat, hi vero quoad hoc negotium neutiquam sufficiant. Requiretur autem Viri in historia Philosophi-

ea omnigena, versatissimi industria, si verum Lexici nomen sit explendum.

31. Idem valet circa Synonymiam, quae dialecticis inuentionibus & declarationibus quandoque inseruit.

32. Definitio itaque, realis proprie, ad hunc locum pertinet, estque ideae obscurae per clariores iusta & methodica declaratio.

33. Est ea vel Analytica seu accurata, quam proprie definitionem esse volunt, vel dialectica, quam descriptionis nomine insigniunt.

34. Descriptio itaque est qualiscunque declaratio alicuius ideae, vt si hominem definias, quod sit Animal bipes.

35. Accurata vero definitio, est resolutio idearum plurium, compositione vna contentarum internam rei essentiam declarans.

36. Hinc duo praecipue continet, (1) in quo conueniat idea definienda cum aliis eiusdem generis, (2) in quo differat ab iisdem.

Ita in definitione iuramenti dicendum erit, quod iuramentum sit oratio & significatio mentis, (quae est conuenientia,) secundo quod fiat certis solennitatibus coram iudice cum voto, vel execratione, ob peculiarem finem (haec enim differentias exhibebunt.)

37. Se-

37. Sequitur hinc (α) ideam definiri non posse, nisi sit composita, (β) nec, nisi sit quoad essentialia requisita cognita, (γ) nec opus esse definitione circa ideas rerum singularium.

38. Atque his notatis mea opinione omne definiendi artificium absoluitur, nec opus esse videtur regulis, quas vulgo hic tradere consueuerunt.

39. Proderit tamen vt cum vulgo Logicorum loqui possimus, ea paucis notasse, scilicet: (1) Omnem definitionem constare genere & differentia, (2) debere notiorem esse definito, (3.) debere definito reciprocam esse; (4) debere esse affirmatiuam. (5) debere definito esse propriam.

40. Definita hoc modo idea prima, siue subiecto & idea secunda siue praedicato quaestionis plurimae veritates, sponte sua se inuicem sequentur.

Exempla si desideras, haec ipsa opella tibi quasdam suppeditare poterit, idemque praestabunt omnia philosophemata, curatiori Stylo formata. videatur etiam delineatio Iuris Ciuilis secundum Instituta, quam celeberrimus BEYERUS euulgauit, vbi exempla iuridica copiose se efferent.

41. Idem fiet si recte instituatur idearum quaestionis diuisio, quae est iusta earundem ab aliis separatio.

Haec vero praeterea & hoc commodi habet, vt labor cogitandi diuidatur, quo ea cogitationis obiecta seligere possimus, quae prae ceteris vel necessaria vel vtilia existunt, quod optime obseruauit Dominus D. TITIVS in arte cogitandi cap. I. §. II. Propter hanc enim rationem, commendabitur alio loco a nobis distinctio disciplinarum, curatiorque iusti, honesti, & decori, ab inuicem separatio.

42. Haec itidem est vel dialectica, rem quocunque modo discernens, vel analytica, peculiaribus regenda legibus.

43. Et hoc quoque duplex est, vel enim distinguimus rem a speciebus aliis, vel partes coniunctas separamus.

Vnde accuratius loquendo, genera rerum distinguimus in species, totum aliquod diuidimus in partes.

44. Vt recte distinguas diuidasque, opus est primo vt subiectum sit cognitum, secundo, vt sit cognitum quoad partes & species.

45. De caetero, diuide rem in tot partes speciesque, quot potes: Hoc autem te docebit cognitio rei.

46. Non diuides autem distinguesque, nisi vbi distinctio, vel nouae veritati inueniendae, vel iam cognitae, rectius ordinandae, inseruiat.

47. De

47. De caetero, diuide rem in partes sibi inuicem oppositas.

Ita vt, hoc non contineatur sub illo: Sic incongrue mihi diuidisse videtur COMENIVS in ianua rerum cap. IIX. n. 8. & 9. inter existentiam conceptus & sermonis, quae ni fallor coincidunt.

48. Porro diuide rem in partes aequales, ita vt non distinguas, inter aues & alia animalia.

Exempla iuridica ineptarum diuisionum, ex neglectu huius regulae peccantium, exhibet TITIVS in arte cogitandi cap. VII. §. 48.

49. Partes vero exhauriant totum diuisum, ne verbi gratia animam diuidas in facultatem intellectus & facultatem mouendi corpus.

50. Denique membra diuidentia positiue sunt determinanda.

Ita inconueniens est Triboniani diuisio hominum sui iuris, vel in tutela, vel in cura, existentium, vel neutro iure obligatorum.

51. Atque sic definito diuisoque carebis facile artificiis aliis, quae vulgo ratiocinantibus commendantur, nec opus erit tibi conscendere celebrem illam Asinorum pontem, quo rumpente, saepius viri subtilissimi, luto immerguntur.

CAP.

Cap. IV.

De
Ratiocinatione & Syllogismo.

I.

Ratiocinatio occupatur circa obiectum quodammodo cognitum, non poterit autem esse incognitum, si prius rite fuerit definitum diuisumque.

2. Cognitionem inchoat experientia, per sequitur definitio & diuisio, & tandem his vtitur argumentatio, siue ratiocinatio.

3. Est haec iusta diuersarum idearum ad inuicem comparatio, quo, scilicet idea cognita, incognitas magis declaret.

4. Dicitur alias Syllogismus, quem hactenus non tantum pro medio communicandi, sed etiam pro modo quaerendi cognitionem, vel eius confirmationem, habeo.

Quamuis enim vtique in Syllogismo veritas iam adesse debeat, nec amplius quaeratur, quaeritur tamen vtique eius confirmatio, & fundamentum, & saepissime nota esse dicitur thesis, cuius fundamentum nondum cognoscimus. Talis autem cognitio, vix cognitionis nomen meretur. Ita-

Itaque Syllogismus, quo fundamentum theseos examinatur, recte etiam medium quaerendi veritatem dici poterit

5. Ad omnem autem Syllogismum requiruntur, *primo*, duae ideae, quarum conuenientiam quaero. *Secundo* idea media, quae istam conuenientiam ostendat. e. g.

Vt si quaeratur, an preces pertineant ad cultum naturalem numinis, separandae sunt idea precum, secundo, idea cultus naturalis, qui denique per latiorem conceptum, siue ideam tertiam explicandus est.

6. Duae ideae priores constituunt quaestionem, idea media fundamentum decisionis suppeditat.

7. Hinc sequitur, ideam mediam reliquis semper debere esse notiorem, & magis vniuersalem; primam subiectum, secundam praedicatum, tertiam fundamentum quaestionis vocant.

8. Eodem recidit, quod communiter per terminum maiorem, minorem, & medium intelligunt.

9. Idea medians autem, cum vtraque priori debet conferri.

10. Hinc nascuntur tres Syllogismi propositiones, maior, & minor, quas praemissas vocant, atque conclusio.

Ita

Ita si quaeras; An eruditio sit colenda? Ideâ eruditionis & colendi sunt mente ruminandae, donec exsurgat idea media, quae erit promotio felicitatis: Has conferes inuicem hoc modo:

Omne quod promouet felicitatem est colendum,

Eruditio promouet felicitatem,

E. Eruditio est colenda.

11. Hae praepositiones prout facile ex superioribus iudicatur, quocunque ordine possunt proferri nihilque impedit, vtrum maiorem, vel minorem proponas.

12. De caetero ratione materiae argumentatio, est vel dialectica, vel Analytica. *Illa* tendit ad probabilem veritatis cognitionem; *Haec* ad certam: Illa confert ideas accidentales, siue contingenter connexas, haec necessario conuenientes, vel pugnantes.

13. Atque haec simplex & naturalis argumentandi ratio, qua omnes homines, qui mente pollent, vtuntur, sufficiens certe veritati cognoscendae, communicandaeque esse potuisset, nisi in altercationis instrumentum, vsurpata fuisset.

14. Regulas tradere circa rem pure naturalem, est soli viam monstrare, itaque homo ratione vtens, non opus habet, magno regularum apparatu.

15. Interim vt moribus morem geram, prae-

praeceptiones vulgares declarabo, in praelectionibus futuris, oretenus, quam in rem harum deliciarum amatores notare poterunt sequentia, quibus tamen solidiora fundamenta miscere placet.

16. Syllogismi regulae sunt, vel generales, vel Speciales, a quibus differunt adhuc tria axiomata, quae omnium harum regularum fundamenta existunt, quae exhibet *CLERICVS Logic. P. IV. cap. II.*

17. *Primum*: Propositiones particulares contineri in vniuersalibus eiusdem naturae, non vniuersales in particularibus.

18. *Alterum*: prout subiectum propositionis particulariter, aut vniuersaliter sumitur, propositio quoque aut vniuersalis, aut particularis est.

19. *Tertium*: Cum attributum propositionis affirmatiuae nunquam latius pateat subiecto, & sumitur particulariter, quia non nisi per accidens vniuersaliter sumitur.

20. Regulae generales, vel respiciunt terminos, vel propositiones. Ad priores pertinent: (1) In Syllogismo non debere plures esse terminos quam tres. (2) Terminos non debere mutari. (3) Medium terminum non debere ingredi conclusionem.

21. Ad posteriores autem notandum, *primo*,

primo, medium debere semel saltem vniuersaliter sumi, non bis particulariter.

22. *Secundo*: Termini conclusionis non debent vniuersalius sumi, in conclusione quam in praemissis. Alii sic efferunt: Conclusionem debere sequi partem debiliorem.

23. *Tertio*: Ex puris negatiuis nihil sequitur.

24. *Quarto*: Ex puris particularibus nihil sequitur.

25 *Quinto*: Ex propositionibus duabus affirmatiuis non potest negatiua inferri.

26. Sunt hae regulae, vt vides, verissimae, sed nisi omnia me fallunt superfluae, modo notes, quae nobis commendatissima est, cautelam: *Non debere nos ratiocinari, nisi de rebus magna ex parte cognitis*.

27. Regulae speciales supponunt diversas Syllogismi *figuras*, seu medii termini dispositiones, diuersosque *modos* siue certam propositionum quantitatem, vel qualitatem.

28. Ad haec declaranda excogitarunt homines otiosi versiculos aetate Homeri vel Virgilii dignissimos, sic canentes:

bArbArA, cElArEnt, dArIl, primae, fErIOque,
cEsArE, cAmEstrEs, fEstInO, bArOcO secundae
Tertia grande sonans edidit: dArAptI, fElAptOn,
adiungens: dIsAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErIsOn.

29. Nec

29. Nec minus egregii sunt versiculi superius recensiti:

Asserit A, negat E, sed vniuersaliter ambae,
Asserit I, negat O, sed particulariter ambae.

30. Tribus figuris addiderunt alii quartam, quam galenicam vocant, quaeque non nisi inuersio primae est: sed reuera superfluam.

31. Interim & huius peculiares modos tradere consueuerunt, vnde versiculos:

BArbArI, cAlEntEs, dIbAtIs, fEspAmO, frEsIsOm.

32. De singulis speciales notantur regulae: circa *primam*: 1. minorem debere esse affirmatiuam. 2. maiorem vniuersalem.

33. Circa *secundam*: 1. alterutram praemissarum oportere esse negatiuam. 2. conclusionem debere negatiue inferre. 3. maiorem debere esse vniuersalem.

34. Circa *tertiam*: 1. Minorem debere esse affirmatiuam. 2. conclusionem debere esse particularem.

35. Circa *quartam*: 1. quando maior est affirmatiua, minorem debere esse vniuersalem. 2. quando minor est affirmatiua, conclusionem esse semper particularem. 3. in modis negatiuis maiorem oportere esse vniuersalem.

36. Atque hinc apparet, quomodo Syl-

logismus in verum & falsum, seu bonum vel malum diuidatur.

37. Distinguunt porro syllogismum in perfectum & imperfectum: *ille* est, quando tribus propositionibus absoluitur.

38. *Hic* vel abundat aliqua propositione vel caret. Abundant vero *Inductio*, quae ex singularibus infert conclusionem vniuersalem: *Sorites*, qui argumentandi modus plures propositiones ita inter se coniungit, vt praedicatum vnius sit subiectum alterius propositionis, donec in conclusione subiectum primae & praedicatum vltimae praemissae coniungantur.

Inductionis exemplum est: Socrates, Epicurus, Aristoteles, caruerunt summo bono E. Philosophi carent summo bono. Sorites sic argumentatur: quicunque ambitioni litat, peccat, quicunque peccat, caret summo bono, qui caret summo bono, non est beatus E. qui ambitioni litat non est beatus.

39. Defectu vero laborant: *Enthymema* & *Exemplum*, quorum vtrumque propositionem vel maiorem vel minorem omittit.

Vt si dicerem: Aristoteles meretur laudem E. & Epicurus: Quicunque philosophatur cum fructu publico, ille est defendendus E. Cartesius fuit defendendus.

40. Denique syllogismus est vel simplex vel compositus: *ille* vtitur propositionibus simplicibus, *hic* compositis. 41. Vt

41. Vt itaque propositiones compositae sunt vel conditionales vel disiunctivae, ita & tot sunt syllogismi compositi species.

42. Videtur & huc referendum *dilemma*, quod est syllogismus mixtus, cuius antecedens est conditionale, consequens disiunctiuum vtrinque probatum.

Exemplum suppeditabit disputatio celebris Protagorae & Euathli coram iudicibus: ille inquit: si viceris dabis mihi ob pactum: si non dabis ob iussum iudicis, cui hic respondebat: si vicero non dabo ob pactum, si vero causa cadendum est tibi, liber ero ob iussum iudicum, vel accuratius: Si iudicio standum erit nihil dabo: aut enim causa cadem, quod nititur pacto & nihil dabo: aut iudicium obtinebo quo standum erit: E. nihil dabo. vid Apuleius in floridis p. m. 360.

43. Vltimo loco notandus est syllogismus sophisticus cuius praecipue sunt species: 1. petitio principii. 2. fallacia consequentis. 3. non causae vt causae. 4. fallacia accidentis. 5. ignoratio elenchi, 6. compositionis & diuisionis. 7. & aequiuocationis: sed ad haec peruidenda sanae mentis naturalis intellectus sufficit. exemplis notabilibus illustrat *Autor Artis cogitandi.*

44. Quod reliquum est sapiens non verbis sed rebus studet, hinc vtitur simplicissimo & naturali ratiocinandi medio, adeoque

que his regulis non nisi coram hominibus, quorum gustus vix alia fert, vtitur: & sic maxima syllogisticae vulgaris parte sine dispendio carere licet. Dandum tamen aliquid fuit illorum ingenio, quibus antiquatis immori ineptiis iucundum videtur.

CAP. V.

De Lectione & auscultatione.

I.

Fuerunt praecipua veritatis proprio marte cognoscendae media: sed vero multitudo rerum obstat, quo minus omnia queamus experiri: vnde Hippocratis aphorismus: ars longa vita breuis.

2. Praeterea diuersa meditandi methodus impedit quo minus omnes veritates ratiocinando nobis innotescant.

3. Hinc coniungenda est sapientiae studioso aliorum hominum & experientia & meditatio.

Dicendum hic de periculo Autodidactorum & philautia quorundam, qui omnem aliorum operam spernere in sapientiae partibus ponunt.

4. Hae vero vel oretenus vel scriptis nobis cum communicantur: itaque, vt his rite vtamur, inter media inuestigandi & cogno

cognoscendi veritatem iure suo referuntur *Auscultatio & lectio.*

5. Auscultatio est actus mentis ideas ab aliis collectas communicatasque ope auditus in imagine sibi repraesentandi.

6. Lectio est actus mentis ideas ab aliis collectas communicatasque ope oculorum sensus in imagine certorum signorum sibi exhibendi:

7. Vtraque in actiuam & passiuam dispesci potest: sed nos nunc agimus tantum de iis quatenus in actuali quodam mentis sensuumque motu constituuntur.

8. Auscultatio vero alia est communis & omnibus hominibus quouis loco & tempore conueniens: alia litteraria, quae eruditis propria existit.

9. Communis maximam partem passiua est, adeoque nec regulis indiget.

10. Interim eadem sapientiae studioso saepissime & quidem admodum inseruit.

11. Hinc nunquam negligenda, sed etiam ambienda quaerendaque est.

12. Reperies autem eius occasionem quotidie in conuersatione communi cum omnis generis hominibus, quibus omnibus saepissime cum magno fructu vti poteris.

Sic Theophrastus Paracelsus alicubi confitetur se multum sapientiae Cingaris, Erronibus, Circumforaneis, Mulierculis, Militibus, Rusticis-

que debere. Nec impedit quo minus aliquando Rusticus homo verissimae sapientiae semina spargat: quae nunquam contemnenda, praecipue in rebus ad experientiam physicam pertinentibus. Et sapiens quidem nunquam quis, sed quid dicat? quaerit.

13. Auscultatio litteraria est vel exoterica vel acroamatica.

De vtraque pluribus ex antiquitate philosophica differunt IO. CVNRAD. DVRRIVS in Isagoge ad lectionem Aristotelis, & MELCHIOR ZEIDLERVS in Introduct. ad Analyt. Aristotelis.

14. Auscultatio exoterica Tyronum est: acroamatica studii progressus supponit.

15. Exoterica tum ratione materiae, tum ratione personarum maximam partem fortuita est: hinc regularum directio vix sortitur locum.

Hic enim sequimur vt ducimur, nec aliud quid quam obsequii gloria & patientia commendari potest.

16. Acroamatica liberius de doctoribus & materiis, quibus studium impenditur, iudicat: hinc doctrinam de arte communicandi veritatem supponit, quam mox trademus.

17. Vtraque autem ex natura negotii & fine quem intendit, debet 1. esse sciendi cupida.

18. Cu-

18. Cupido tamen 2. moderata, cum nimis vehemens affectus cognitionem potius impediat.

19. Sit quoque 3. ordinata, ne quis omnia simul, vel quadrata rotundis mista quaerat.

20. Sit 4. attenta & constans ne huc & illuc vagetur.

21. Sit 5. a praeiudiciis libera, nec odio vel amore occupata: videtur interim amor minus nocere quam odium.

22. Denique necesse est 6. vt meditationi experientiaeque iungatur: nec illae hac, nec haec illis sine damno carere queunt.

23. Cum vero multa quoque superiorum seculorum experientia constent, necessario iungenda erit librorum lectio, quippe qui priscae & alienae experientiae meditationisque monumenta existunt.

24. Valent & de hac, quae de auscultatione *pos. XVII. sqq.* dixi, quae distincta cum applicatione repetenda.

25. Speciatim legenda sunt pauca, sed saepe & cum studio: nusquam est, qui vbique est.

26. Legenda prius recentia, quippe quae & facilius intellectu sunt, & praeterea ad antiquiora viam commonstrant.

27. Legenda potius quae ad memoriam

riam quam quae ad iudicium vel ingenium spectant; cur enim ab aliis sumamus, quae ipsi possidemus.

28. Sub initium legenda ea quae consulta existimat Doctoris prudentia: vbi iudicium est formatum, omnia poteris probare, vt bona retinere queas.

29. Ne vero, in tanta librorum multitudine impedimento sit inconueniens lectio, iudicandum est, & cum legis, & antequam legas, vnde boni libri a malis cum iudicio separandi.

De multitudine librorum egregie disserit, Dominus M. SCHVTENER in dissert. de hac re Ienae habita. Inseruiet vero hic studium historiae litterariae, & cum bibliothecarum in quas viam monstrat post alios Dominus BVRCARD GOTTHELFF STRVVE, In introduct. ad rem litterariam.

30. Sub initium sufficit, si liber, qui legendus est, vel ingenii vires exerceat, vel ingenii vires exerceat, vel iudicium quodammodo acuat, vel memoriae subueniat, vel etiam attentionem & studium sciendi excitet, vel praeiudicia tollat, & sic forte nullus liber tam malus est, vt non aliqua ex parte prosit.

31. Vt autem liber recte finem suum expleat, requiritur, (1) vt tradat vera: qui enim leget quaerit veritatem: requiritur *secundo*,

tando, vt tradat vtilia, sapientiam enim quaerimus propter vsum. *vid. c. I. de erudit.* superius.

32. *Tertiò*: necesse est vt tradat eadem solide & cum fundamento, cognitio enim quae fundamento caret, est superficiaria, & stultiae proximior quam sapientiae.

33. *Quarto*: neque tradat confuse, sed cum ordine debito. Manuductio quae confundit ex communi omnium hominum sensu est seductio.

34. Imo, *Quinto* etiam oportet, vt non iniucunde proponat, quae legenda sunt: Spinosa sapientia & meticulosa, non allicit homines sed fugat, adeoque nec vera esse potest.

35. Sed de his non est iudicium Tironis, nec de eo vlterior hic dicendi locus.

36. Curandum est potius, vt quae quis legit, intelligat quoque, non bruto oculo legat, Itaque huc faciet doctrina interpretandi, quam hermeneuticam appellant, quamque ob naturalem nexum logicae partem existimamus, licet & hic fine ratione dissentiat *Dn. TITIVS in arte cogitandi*, cap. vltimo.

CAP. VI.

De Interpretatione.

I.

INterpretatio est actus intellectus ex conuenientibus coniectandi princi-

piis iudicans de ſenſu ſermonis vel etiam ſigni alius cuiusdam, ab alio haud diſtincte clareque prolato.

Conſtare hinc poterit, quo iure doctrinam hermeneuticam ad logicam referamus, in quo ſequimur IO. CLAVBERGIVM, CHRISTIANVM WEISIVM, CHRISTIANVM THOMASIVM, SAMVELEM GROSSERVM, IOACHIMVM LANGIVM: interim nemini litem movemus, qui peculiari diſciplina hoc negotium exequi malit, vti fecerunt B. DANHAVERVS in Interprete, IO. CLERICVS de arte critica, BVDDEVS in hermeneutica, LVNGERSHAVSEN & ERNESTI in hermeneutica, quod certe conuenientius, quam ſi haec doctrina vni tantum alicui facultati applicaretur, quod a FRANTZIO, BAYERO, OLEARIO, GLASSIO, PFEIFFERO, Theologis & HOPPERO IO. a FELDEN atque HORNIO ICtis factum eſt: interim & hi ipſi potius laudem quam vituperium merentur, qui rem a Philoſophis male derelictam boni publici cauſa occuparunt.

2. Quod actus intellectus ſit: innuit, eandem non vt paſſiones eiusdem forte fortuna contingere, adeoque artis regulis quam maxime indigere.

3. Iudicare dicitur ideo, quia Interpretatio dubitatiua non eſt declaratio ſenſus, ſed potius declaratio ignorantiae: interim non ſum contrarius, quo minus etiam Interpres aliquando eam confiteatur.

Imo

Imo requiritur haec modestia saepe in Interprete sacro.

4. Indicat autem ex coniectandi principiis, quae non nisi verosimilia sunt.

5. Vnde consequitur, quod interpretatio nunquam gignere possit cognitionem philosophice certam & demonstratiuam.

6. Vbi vero principia iudicandi de sensu sunt manifesta, ibi superflua est interpretatio, eademque videtur stultitia declarare velle clara, quae est demonstrare indemonstrabilia.

7. Signa mentis sunt vel verba vel facta: hinc regulae explicandi, sermonis maxima ex parte ad nutus quoque & signa alia extendi possunt.

8. Finis eiusdem est declaratio cogitatorum sub signorum externorum inuolucro latentium.

9. Quaerimus vero sensum non proprium, quod hominis insanientis, vel somniantis esset, sed alienum, itaque interpretatio authentica est ignis frigidus & huc non pertinet.

10. Si interim aliqua detur interpretatio authentica, pertinebit ea ad caput sequens, nec differet, a quocunque modo docendi.

11. Distinguunt quoque inter explicationem arteficialem & inarteficialem, sed sine vtilitate.

12. Rectius 1. omnis interpretatio est partim grammatica, partim logica.

13. Interpretatio grammatica subsidiis lexicorum & artis grammaticae nititur: logica tantum huius loci est.

14. Interim logica supponit grammaticam, nec vllus interpretabitur logice sermonem lingua certa conceptum, cuius non est peritus.

15. Vt linguam quis rite calleat requiritur 1. vt noscat vsum quorumlibet vocabulorum de quibus quaeritur.

16. Requiritur 2. vt noscat vsum diuersum abusumque eorundem.

17. Necesse est quoque 3. vt structuram quoad genium linguae & idiotismos calleat.

18. 4. Discernere debet voces alienas a propriis, obsoleta a nouis, vsitata ab inusitatis & rarioribus, impura a puris.

19. 5. Denique commendandum est diuersae Calligraphiae studium, cuius vsus latissime patet, vbi monumenta antiquitatis inspta sunt peruestiganda.

20. His suppositis Interpres rem aggredietur logice si (α) noscat conditionem loquentis (β) finem sermonis, (γ) naturam materiae substratae.

21. Vides hinc in Interprete vero & genuino requiri veram & realem polyhisto-

tiam siue polymathiam & eruditionis omnigenae notitiam non-perfunctoriam.

22. Conditio loquentis eiusdem statum tum physicum, tum moralem, tam quoad interna, quam externa comprehendit.

23. Hinc considetanda in eo: sanitas corporis, sensuum integritas, aetatis mensura, iudicii, ingenii, memoriaeque facultas, voluntatis vel quieta vel turbulenta constitutio, affectus, locus, tempus, auditores, fortuna, viuendi conditio &c. summatim: quot dari possunt hominis relationes.

24. Aliter enim loquuntur diuites aliter pauperes: aliter docti, aliter indocti: aliter superiores, aliter inferiores: aliter coram his, aliter coram aliis: hic, ibi: nunc, tunc: amantes, odio incitati, quieti, turbidi: iudiciosi, ingeniosi, memoria praediti: senes, iuuenes: sani, morbidi: adeo vt recte sermo character hominis luculentissimus habeatur.

25. Exemplis non opus est: attendatur modo sermo communi vitae frequentatus.

Ita longè aliùs est sensus verborum: Ich will dir den Hals brechen/ *si proferantur ab amicula, alii si a Duce bellico audiantur.*

26. Ita aliter Iacobus Apostolus, aliter Pater Societatis Loioliticae bona opera commendat.

27. Aliter ICtus actionem dicit iustam, aliter Theologus: plura suppeditabit discursus.

28. Ex iis autem, quae superius de verosimilitudine diximus consequitur: quemlibet, quamdiu aliae & quidem clariores non extant rationes, statui suo conuenienter loqui velle praesumendum esse.

29. Quaecunque itaque sententia cum reliqua loquentis conditione conuenit, illa ipsi hactenus recte tribuitur.

30. E contrario: quae sententia cum reliqua loquentis conditione pugnat, eam nec intendisse credendus erit.

31. Quaecunque sententia magis convenit cum eadem, quam alia, illa ipsi quoque magis prae altera videtur tribuenda.

32. Itidem minus conueniens loquendi ratio praesumenda non est, si magis conveniens haberi possit.

33. Cum vero omnes homines ratiocinandi facultate gaudeant; inde nemo, nisi apertam prodat stultitiam, absurda statuere voluisse praesumitur.

34. Ergo benigna explicatio tutius eligitur prae odiosa: in quo culpatur haereticandi studium.

35. Ast vero, quoniam ethica docet, homines raro quieta voluntate vti, passionibusque suis non raro indulgere; inde sequitur:

tur; ſtudium partium & affectuum ſine magno argumento recte praeſumi.

Conf. quae CLERCK in Parrhaſianis, THOMASIVS de fide iuridica, BIERLING de iudicio hiſtorico, STRVV de ſcepticiſmo hiſtorico & naeuis hiſtoricorum notarunt.

36. His obſeruatis Interpres futurus ſcrutari debet finem ſermonis, quippe qui ex natura negotii Scriptori ſemper ob oculos fuiſſe creditur.

37. Quod itaque huic congruit, illud tribui poteſt autori: quod ab eo diſcrepat ſententiis eiusdem male adiudicatur.

38. Vt vero finem verborum ſcriptorum reperias, lege & meditare eadem curatius, quoad ſingulas partes.

39. Lege antecedentia & conſequentia proxime: ita pene omnem ſacram hermeneuticam ex hac vnica regula deduxit FRANZIVS cum quo conf. Dn. FRANCKIVS in *manud. ad lect.* Scripturae ſacrae.

40. Antecedentia autem & conſequentia vt rite & quantum ſufficit percipias, lege & relege plus vice ſimplici.

41. Imo notes: antecedentia & conſequentia aliquando totum librum conſtituere.

Poterit hoc illuſtrari exemplo Epiſtolarum Paulinarum, libri ſapientiae, & libri Siracidis.

42. Denique & in hunc finem repete iterum hiſtoriam ſcribentis.

43. Con-

43. Confer etiam ab eodem alio loco prolata & parallelismum & analogiam doctrinae, quam prae oculis habuit, euolue.

44. Tandem, explica mentem prout substrata materia suadet, & ob illud negotium iterum meditare naturam subiecti & praedicati.

45. Si vna via non processit, ingredere alteram: si hoc sensu subiectum & praedicatum per rerum naturam non possunt coniungi, tenta alium proferre, & applica superius dicta.

46. Pluribus non opus est, sed sensus sponte se prodet, nisi plane sit imperscrutabilis.

47. Sensus autem distinguitur in proprium & mysticum: vterque verus esse potest etiam ex intentione scribentis, sed maior vtplurimum pro illo videtur existere praesumtio.

48. Igitur nisi superius tradita necessario a sensu proprio abire suadeant, mysticum prudens non sectabitur.

49. Haec si ob oculos habuerit Lector, & iucunda & fini suo inueniendo apta erit lectio.

50. Imo his obseruatis vtilior quoque iucundiorque erit auscultatio, percipienturque plura, quae cum aliis communicare iubebit sapientiae studium.

CAP.

CAP. VII.

De
Diiudicatione Opinionum.

I.

Antequam autem communicentur ea, quae lectione atque auscultatione percepta sunt, opus est, vt vera a falsis, certa a verosimilibus, probabilia a dubiis probe secernantur.

2. Interim hic non nouae expectandae sunt regulae, cum haec diiudicatio nil aliud sit, quam superius traditorum ad alienas cogitationes applicatio.

3. Hinc definiri potest, quod sit iudicium intellectus de sententiis aliorum determinans quoad illae vel clarae vel obscurae, vel confusae vel distinctae, vel verae vel falsae, vel probabiles vel dubiae, vel solidae vel superficiariae, vel connexae vel distortae videantur.

4. Aut breuius: Est iudicium de intellectu aliorum, an veritatem cognoscant? annon? Idque an bene, vel male?

5. Iudicatur vel de sententiis singularibus, vel de toto cogitationum systemate, vel de libro, seu scripto publico.

6. Iudicium de libris instituendum supponit doctrinam sequentis capitis, de

prudentia docendi. Itaque priores duae materiae, tantum huius loci sunt.

7. Vtrumque iudicium fertur, de cogitationibus alienis, eodem modo, quo iudicandum est de propriis.

8. Hinc nemo iudicare potest de aliorum sententiis, nisi prius iudicauit de suis.

9. Qui vero recte nouit diiudicare cogitata propria, is facillime iudicabit de alienis.

10. Dein necessum est, vt iudicaturus prius mentem loquentis vel opinantis rite calleat, ne alteri tribuantur, de quibus ne per somnium cogitauit.

11. Hinc supponitur hoc capite, doctrina capitis praecedentis, de interpretatione, tum Grammatica & Critica, tum etiam Logica.

12. Ex eadem ratione patet, stultum iudicare de iis opinionibus quas prima vice audit, aut quas non legit.

13. Patet quoque, quantum ex relationibus nouellis litterariis de aliorum cogitatis iudicari liceat, quamuis omnem earundum vsum non negem.

14. Sequitur etiam hominem praeiudiciis occupatum vel Affectuum perturbationibus obnoxium, inepte iudicare.

15. Quemadmodum vero in interprete requiritur cognitio rei de qua sermo est,

est, ita hic quidem nemo iudicare potest de cogitatis, nisi calleat disciplinam, ad quam ea pertinent.

16. Non inficior equidem, aliquando etiam eum, qui disciplinam ignorat, naturali mentis sagacitate de eius conclusionibus iudicare, sed quod aliquando fit, non est ordinarium.

17. Etenim aliquando etiam homines qui de conclusionibus disciplinae incognitae iudicant, miras proferunt ineptias.

18. Vt quis disciplinam recte callere existimetur, requiritur, (1) vt noscat eius finem, vsum, & compagem.

19. Requiritur (2) vt præsentes habeat ideas eiusdem, communissimas, principiaque quibus vtitur.

20. Denique (3) opus est, vt de principiis iis conuictus sit, conclusionesque vniuersas ad ea reducere valeat.

21. Vulgo magis iudicatur de sententiis singularibus, quam de systemate cogitationum, quia hoc videtur magis operosum, illud facilius.

22. Verum res aut inuertenda, aut omittenda erit; Perfecte enim sententiam mentemque autoris nemo capiet nisi qui Systema doctrinarum eiusdem prius recte concepit animo.

23. Ergo videndum eſt vt iudicaturo innoteſcant omnia, quae ab autore prolata ſunt.

24. Prolata autem ſunt, vel dogmatice, & nexu Syſtematico, vel ſparſim: Si ſparſim; redigenda ſunt in ordinem, non quemcunque, ſed qui autoris reliquis cogitationibus conueniens ſit. videatur ſi placet diſſ. noſtra de ſtudio *hiſtor. philoſ.* §. 5.

25. Si hoc debito modo factum fuerit, meditari vlterius decet, nexum ſyſtematis, vel quoad omnes concluſiones inter ſe, vel quoad relationem earundem ad principium ſuppoſito.

26. Primum ſuppoſitum ſcribentis vero exigetur, ſi ſingulare ſit ad vltimum euidentiae criterium, ſi propoſitio vniuerſalis ad primum veritatis principium.

27. Et ſic vel verum, vel falſum vel dubium apparebit.

28. De hinc videndum eſt, an concluſiones ſint connexae an non, itemque an cum eodem connectantur neceſſarie, an contingenter.

29. Vlterius videndum eſt etiam quo ad conceptus autoris differant a communibus & vulgatis, quoad cum iis conueniant.

30. Non enim ex ea exiſtimandum eſt, omnem conceptum a communibus receden-

cedentem peccare, cum saepe sufficiat, si ille reliquis autoris cogitatis conueniat.

31. De caetero, si systema confici non queat, vel ob autoris confusionem, vel ob monumenta deperdita; Poterit etiam aliquale iudicium fieri, de opinionibus singularibus, sed aliquale & minus plenum, & minus perfectum.

32. Ad hoc sufficit, curatior idearum inuicem coniunctarum separatio, in tot, quot continentur propositiones, & circa harum prædicatum subiectumque singulari opera instituenda meditatio.

33. Quaeres hic (1) rerum consideratarum definitionem, vt iudices, an conceptus sit obscurus vel clarus.

34. Quaeres (2) Diuisionem, vt idem an distinctus vel confusus sit, appareat?

35. (3) Ratiocinando reduces ad primum principium, vt an verum, an falsum, an probabile, an dubium sit cogitatum, cognoscas.

36. Denique (4) poteris illustrationis gratia eiusdem conceptus conferre cum similibus, praecipue si probabili tantum nitantur fundamento.

37. Si haec obseruaueris, non facile te peccaturum in iudicando credo.

CAP. VIII.

De
Communicatione veritatis generatim.

1.

SEd veritas cognita diiudicataque ob communia humanitatis officia, cum aliis quoque communicanda est: hoc autem non minus ac cognitio & diiudicatio regulis artis dirigitur.

2. Communicatio haec est expositio cogitatorum nostrorum coram aliis, eos erudiendi caussa instituta.

3. Itaque finis eius proximus est eruditio in animos aliorum prompte introducenda, vnde vtilitas necessitasque huius doctrinae cognosci potest.

4. Hinc saepius eruditi de peculiari disciplina hanc in rem excogitanda laborarunt, quam didacticam, methodologiam, artem docendi, Traditiuam &c. vocarunt.

Nota hic sunt SCHARFII, MARTINI, CALOVII, COMENII, BVDDEI, *aliorumque nomina: plures sunt qui hanc materiam curis logicis vindicarunt, vt:* BAYER *in Cynosura mentis:* IO. CLAVBERVS *in Log.* CHRISTIANVS WEISIVS, CHRISTIANVS THOMASIVS, IOACHIMVS LANGIVS, *& forte plures.*

5. Mi-

5. Mihi commodissimum videtur ea disciplina, quae veritatis inuestigationem & diiudicationem dirigit, tractare quoque de eiusdem communicatione, quippe quae communi instrumento ab omnibus diiudicatur.

Accedit etiam, quod pene vt cognoscitur ita & communicetur veritas: neque ab instituto movent, quae opponit Dn. TITIVS in art. cog. c. XVIII. §. 61. 62. cum vtique methodus meditandi & differendi non differat, cogitationumque propositio quoque dirigi possit abstrahendo a regulis iustitiae prudentiaeque. Et quid tum? etiam si prudentiae regulae aliquando iis, quae artis sunt, misceantur: ita enim & Faber non distinguit regulas artis fabrilis a regulis prudentiae (von Handgriffen und Vortheil). quodlibet, quod in practicis & effectiuis docetur disciplinis tendit ad finem eoque ducit media, ergo quodam respectu prudentia doctrinaque cautelarum dici potest, ita etiam logica non plane distat a prudentia & cautelarum doctrina: nec comprehendo quorsum referat TITIVS praeceptum de ordine, perspicuitate & plenitudine c. XIV. §. XI. ad has enim etiam, ni fallor, requiritur prudentia.

6. Vti autem cum viam quaerimus, optamus breuem, rectam, certam nec molestam: ita qui doctrinam appetunt rectam, certam, breuem nec incommodam aptant philosophandi methodum.

7. Cumque nemo sanus iter ingrediatur periculosum & inutile; ita & doctrinae adesse debet vtilitas.

8. Hinc cum *IO. AMOS COMENIO* viro prae aliis didactico deducemus regulas generales, quae omnem docendi artem constituunt 1. qui docere cupit, doceat vera vt vera, falsa vt falsa, dubia vt dubia.

9. Requiritur itaque in omni Doctore artis, quam docere nititur, vera notitia, ne pro auro scorias obtrudat discentibus.

10. Ergo antequam doceas discas oportet, nec existimandum est: omnia docendo disci posse.

11. Sequitur ex positione generali 2. non sufficere multa proferre, sed probare, siue fundamenta doctrinarum demonstrare.

12. Demonstrare est ostendere, quod asserta vel cum criterio euidentiae, vel cum principio contradictionis necessario connectantur, quod quomodo fiat docui superius.

13. Equidem non opus erit semper progredi vsque ad vltima fundamenta: sed si haec semel pateant, ostendendum erit tantummodo, quod asserta connectantur, cum propositionibus iamiam cognitis.

14. Alio vero modo demonstrantur certo vera, aliter ostenduntur verosimilia: ideoque distinctio superius inculcata semper versetur ob oculos.

15. Quae

15. Quae dubia sunt, relinquenda erunt in medio, ne discentibus imponere velle videamur.

16. Requirimus 3. vt doctor viam monstret prae aliis breuem, & sine omni ambage ducat ad eruditionem.

17. Ergo quicquid praecipies esto breuis: philosophandum paucis est: nimia doctrinae extensio pellit discentium patientiam.

18. Breuis vero erit (α) si necessaria tradiderit, praecisis minus necessariis, (β) Si certas rerum proponendarum classes constituerit. (γ) Si quodlibet ex proximo duxerit fundamento. (δ) Si cuilibet intellectus facultati obtulerit obiectum ipsi idoneum.

19. Hinc peccat qui ineptias subtilitatesque venatur, & logomachias instituit, de quibus erudite egit WERENFELS in tract. de Logomach. eruditorum.

20. Peccat qui res vel ad minutias redigit, vel confuse prout in buccam veniunt, proponit.

21. Peccat qui dogmata reuelata ex ratione, rationabilia ex sensu, sensualia ex ratione probat.

Hinc patet in simul, quid sit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, sive transitio in aliud genus.

22. Peccat etiam, qui ea, quae decora sunt, deducit ex principiis honesti, vel iusti, vel vtilis, & contra.

23. Peccat, qui ſenſu cognoſcibilia offert diſcentium rationi, rationabilia ſenſui, vel fidei.

Quomodo differat haec poſitio a poſitione XXI. declarabit diſcurſus, oſtendentque exempla tunc afferenda.

24. Et haec eſt origo ineptae prolixitatis, plurimis qui ore ſcriptoue nocent, quam maxime conſuetae, haec ex rhetorum vaniloquiis repetitae.

25. Requiritur (4) vt via reddatur facilis, commoda, atque grata: Minus diſcitur, quod cum moleſtia diſcitur.

26. Facilius vero diſcitur, quicquid ordine, perſpicue & iucunde proponitur.

27. Ordo ſeu methodus eſt iuſta docendorum inter ſe mentemque proportio.

28. Poteſt quidem veritas aliquando communicari eo ordine, quo eam percepimus, ſed res procedit non ſemper.

29. Vna veritas eodem modo docetur, quo cognita fuit, plures iunctae requirunt ordinem & gradationem.

30. Interim ordo hic ac methodus, nunquam tot vtitur regulis, quot proferunt libelli vulgares, nec opus eſt vt methodum in Analyticam vel Syntheticam, ſenſu vulgari diſpeſcas.

31. Quaelibet methodus eſt arbitraria; & quilibet ea gaudet libertate, qua vſus eſt Ariſtoteles vel alius.

32. No-

32. Notetur saltem: Methodum pendere a natura rei, ac ineptias agere illos, qui res methodo, non methodum rei accommodant.

33. Porro bona methodus incipit a magis notis progrediturque ad ignotiora.

Nescio quare hoc inter ineptias methodicas refe- rat TITIVS, in arte cogitandi, cap. 15 cum nihil magis rationi conforme sit, quam sensus huius canonis, quocunque etiam modo capies. Quod etiam adiicit Dominus TITIVS: Incognitorum non dari methodum, petit id, quod quaerebatur in principio; Etenim canon aut loquitur de methodo cogitandi, aut de methodo tradendi cogitata. Si de priori, de qua capere videtur TITIVS, concedo quidem, plane incognitorum non dari, methodum, dabitur tamen progrediendo a cognitis ad minus cognita. Sed vero iam de hac non quaeritur, si autem agatur de methodo tradendi cogitata, de qua canon ex mente autorum suorum intelligendus erit, plane non quadrat censura TITII. Loquitur enim de incognitis non, quae ignorat docens, sed quae hactenus discentis animum fugiunt, adeo vt hic sit sensus: Qui docet, semper praemittere debet cogitata, quae discenti sunt notiora, & ab his ad ea procedere, quae minus nota existunt. Adderem exemplum, nisi res iam manibus palpari posset.

34. Denique bona methodus praemittit generalia, & vniuersalia, indeque deducit particularia & singularia, in iis in quibus vniuersalitas certa est.

35. In

35. In reliquis a singularibus progreditur ad vniuersalia.

Habes hic rationem methodi quam IOANNES CLERICVS & Dominus BVDDEVS in physicis suis praeceptionibus sunt secuti.

36. atque hoc sensu admitto distinctionem methodi analyticae & syntheticae.

37. De caetero, methodus est vel vniuersalis, vel particularis: Illa est totius disciplinae, haec particularis materiae.

Distinguunt aliqui, inter methodum naturalem & Schematicam, sed haec distinctio tantum homiletica est adeoque huc non pertinet.

38. Perspicuitas quam requiro est vel verborum, vel rerum.

39. Perspicuitas verborum docetur a Grammaticis, ac consistit in vsu vocabulorum recepto, ac eorundem conuenienti ad res applicatione.

40. Perspicuitas rerum superius a nobis declarata est, quae inde repetenda sunt.

41. Iucunditati inseruit prudens methodi variatio, apposita similium exemplorumque conuenientium declaratio, admirationis, ac curiositatis, in tempore facta excitatio.

42. Tandem requiro (5) vt iter suadeatur vtile, itaque non docenda, quae nulla vtilitate se commendant, & quae tantum in spem futurae obliuionis inculcantur.

43. Vti-

43. Vtilia autem ſunt, quae felicitatem hominis, ſiue aeternam, ſiue temporariam, ſiue internam, ſiue externam, ſiue neceſſariam, ſiue accidentalem, vel immediate, vel mediate iuuant.

44. Ergo vbicunque oſtendendus eſt aſſertorum genuinus vſus ac abuſus.

45. Atque haec ſunt, quibus mihi quidem docendi negotium confici videtur, quae in ſummam contraho: doce cogitatorum tuorum ſenſum, fundamentum atque vſum vere, breuiter, ordine, perſpicue, & iucunde, ita docuerunt, CHRISTVS, PAVLVS, & SOCRATES.

46. Vt facere hoc poſſis neceſſe eſt, ſis (1) ſincerus, (2) doctus, (3) prudens, (4) patiens & conſtans, (5) affabilis, & humanus; quae docentis virtutes ſunt.

47. Docemus autem, vel ore vel ſcriptis, vel coram diſcentibus, vel coram contradicentibus. Vnde ſpecialia & diuerſa huius doctrinae capita oriuntur.

CAP. IX.

De Communicatione veri oretenus inſtituenda.

1.

ORe communicamus veritatem partim in conuerſatione quotidiana, partim in

in schola, quo nomine iam templa, academias, & scholas stricte dictas comprehendere licebit.

2. Illa methodus, quae in vita obtinet sine dubio antiquior prae altera, quam scholasticam nuncupare licebit.

3. Illa etiam homini magis naturalis est, prae altera.

4. Itaque & magis conuenit ipsi cum vera sapientia, quam alteri, quae interdum somniis Artificum maxime corrupta fuit,

5. Hinc etiam magis est simplex, nec multis indiget regulis.

6. Interim eo magis commendanda venit, quo maior eius, (quod experientia constat,) est vtilitas, idcirco etiam sapientissimo Christo, & prudenti admodum Socrati vsurpata.

7. Consistit illa vtilitas in facilitate, iucunditate, perspicuitate, ac euidentia,

8. Ergo sapientiae Cultor nullam praetermittet occasionem in conuersatione communi veritates communicandi cognitas: occasio autem se offeret quotidie.

9. In hunc finem apprehendet occasionem in conuersatione communi loquendi de veritatibus cognitis.

10. Dissimulabit autem scopum sermonis omni studio, vt omnia quasi aliud agendo conficiantur.

11. Hinc

11. Hinc loquetur non de veritatibus quibusuis, sed de iis, quae conueniunt sexui, aetati, conditioni, affectibus & ingenio personae, qua cum loquitur.

12. Habebit quoque accuratam temporis ac loci rationem.

13. Imo & se ipsum intuebitur, quaeretque quae statui proprio conuenientiora videantur.

14. Cum his connectet alias disserendi materias modo non inconuenienti.

15. Huc facilet: nosse relationes varias idearum inter se, quibus cognitis facillimum est v. c. a ciuitatum flore descendere ad infortunia familiarum & singulorum hominum.

16. Commendant alii vsum locorum dialecticorum, qui mea opinione non adeo magnus est, licet omnem non negem.

17. Circa veritates autem dissimulando animi sensa potius colloquentis exquiret iudicium.

18. Hoc dato interrogabit ex eodem definitiones saltem nominales.

19. Denique fundamenta sententiae falsae, quam alter asserit, narrari rogabit.

20. Hinc ex concessis consectaria eliciet, eademque sermoni miscebit.

21. Habebit insuper in parato similia, fabulas, historias, argutias, & si quae sunt huius

huius generis alia, gratiam colloquentis conciliare apta.

22. De caetero semper ob oculos habeat regulas generatim superius traditas, & res carebit difficultate.

23. Poterit etiam in hos vsus euoluere scriptores dialogicos, qualis praecipue sunt PLATO, CICERO, LVCIANVS, FONTENELLE, FRANCISCI, WEISE, THOMASIVS & alii.

conf. PASCHII diss. de methodo tradendi sapientiam per dialogos. & tractatus de variis modis tradendi moralia.

24. Maioris adhuc momenti est frequentatio conuersationum cum viris doctis & prudentibus.

25. Institutio scholastica vel circa voces, vel circa res occupatur: Logica instruit hanc, non illam.

26. Dum veritates autem reales communicamus, vel loquimur coram auditorio communi, vel coram selecto.

27. Coram vtroque, per ea quae dicta sunt capite praeced. tradere debemus sensum, fundamenta, vsum, breuiter ordine & perspicue: sed diuersus hoc faciendi modus est.

28. In vtroque tamen vna est regula fundamenti loco substruenda: quicquid intellectum auditorum emendare, voluntatemque

que eruditioni conciliare aptum est, illud est faciendum, quod impedit hoc, est omittendum.

29. Ergo si quod impedimentum superius notatum in auditorum mentibus appareat, illud remouendum erit: remotio ipsa pendebit a prudentia docentis, quae varias ob rationes non debet doceri.

30. In docendo autem omnibus succurrendum est Intellectus facultatibus, praecipue tamen iudicio.

31. Hinc peccant qui dictitando vel sua vel aliorum somnia discentium delassant manus; nisi habeant quaedam singulatim notatu digna.

32. Nec minus & illi, quibus sufficit, si Auditores probata memoria teneant: an vero de iis conuicti sint interne, non curant.

33. Vt discentium voluntas eruditioni concilietur, illique attentioni necessariae assuefiant, omnium humanarum inclinationum vires sunt in auxilium vocandae.

34. Cum vero sensualia mentem nostram imagine sua magis afficiant, in hoc negotio creberrimus eorundem vsus erit.

35. Eandem ob rationem coram Tironibus non decet diu immorari ideis abstractis, sed potius concretis, quae facilius comprehenduntur.

36. Plurimum quoque conferet instituta

tuta comparatio, praecipue si res speculemur incorporeas, easque cum corporeis comparemus. vid. *IO. CLERICVS in Log. Thes. III. §. 12. 13. 14.*

37. Docemus autem vel vnum & paucos, vel plures, in quo maxima subest differentia.

38. Vbi cum paucis agimus, optime res colloquendo procedit, ita vt tota institutio sit legitime instituta dialogus.

39. Haecce methodus viua impressione memoriae, non coacto materiarum nexu ingenio, & continua ratiocinatione iudicio succurrit, praeterea discentem attentum reddere apprime aptum est.

40. Prudens hic maxime Auditorem noscere studebit quoad ingenium, iudicium, memoriam, diligentiam, cupidinem discendi, studia acquisita, quod informationis negotium mirum quantum iuuat.

41. Hisce suppositis cauebit, ne animos vel delasset, vel obruat, vel turbet.

42. Cum vero plurium congregationem formandam habemus desunt haec commoda, nihilque restat, quam methodus continui discursus

43. Hoc vtere puro & perspicuo eoque sermone concepto, qui auditoribus cognitissimus est.

44. Accommoda eundem omnibus, ita vt & accuratioribus & reliquis satisfacias, vt

vt omnibus res grata appareat, vt omnibus clarae res offerantur.

45. Maior tamen erit ratio habendae imbecillium, quam maiorum & doctiorum.

46. Hinc cadet multorum doctorum inanis eruditionis ostentatio.

47. Sensum declaraturus varia sugge-re exempla, similia profer plura, autores in subsidium voca varios.

48. Rationem causamque dum indica-re cupis, rationibus solidis adde quoque probabiles: misce methodum syntheticam analyticae.

49. Vsum ostende qui non sapientibus saltem sed & stultis auaris, ambitiosis, & voluptuosis primo intuitu sit ad palarum.

50. Dubiis auditorum occurre, & si quibus occurrere nequeas, illos ad dubiorum oppositionem lubens admitte.

51. Idem vero est siue propria siue aliorum cogitata explanemus. Pluribus regulis non opus est.

CAP. X.

De Communicatione veri, quae scriptis libris instituitur.

1.

Vtilitatissimus quoque communicandi verum modus est, qui scriptis libris obtinet.

 2. Hoc

2. Hoc non tantum quae ratiocinando cogitamus, ſed & ea quae noſtra experientia nobis conſtant, communicantur.

3. Omnium autem librorum, quibus ſana ſubeſt ratio, finis eſt vel prodeſſe vel delectare, vel praeſtare vtrumque.

4. Librorum, qui delectationis gratia conſcribuntur, ſcriptio magis a guſtu legentium, quam regulis artis pendet, nec proprie huius conſiderationis eſt, vbi de communicando vero agitur.

5. Sufficit: ſi ſcribantur modeſte, de rebus curioſis, ingenioſe, & facili ſtylo.

6. Itaque magis huc pertinent, qui eruditionis communicandae gratia ſcribuntur.

7. De horum vtilitate multi admodum magnifice multi abiecte ſentiunt, multi de multitudine conqueruntur.

8. Mihi recte dici videtur: nos & abundare libris, licet recte multos adhuc deſideremus.

9. Interim prudens nec facile auget eorum numerum: nec ambitioſa aut inuida opinione ſupprimit ſi quae habeat communicatu digna.

vid. huc Dn. BIERLINGS diſſ. cur nonnulli eruditi nihil ſcripſerint?

10. Cauendum vero: ne ſcribantur vulgo nota: ne aliis tractata centies repe-

tan-

tantur: ne scibantur ineptiae non nisi oblivioni sequuturi temporis inseruire aptae.

11. De caetero repetendae & huc regulae generales superius traditae: itaque 1. scribendum est solide & res e suis fundamentis deducendo.

12. Scribendum est 2. perspicue & verbis notis, puris, atque rerum naturae congruis.

13. Denique 3. ordine & iusto nexu: reliqua sunt arbitrii: non omnibus omnia conueniunt. diuersus est gustus hominum, diuersi quoque esse debent inseruientium studia, quo singulis seruiatur.

14. Dum autem vel de singularibus vel de vniuersalibus scribimus libri alii magis meditatione, alii sensu & reuelatione nituntur, suntque hinc vel dogmatici vel historici.

15. Qui aliorum consignat relata, meminisse debet, se probabilia scribere non certa: hinc si alicubi, hic commendanda scriptuto modestia.

16. Necessum vero erit, vt nominet illos a quibus ea hausit, quae profert.

17. Si plures sint citandi praecipuos nominet: nauseam enim lectorem excitat magis quam attentionem nimia allegatorum multitudo.

18. Qui autem sint testes praecipui

docuimus superius, vbi de verisimilitudine actum est.

19. Si quis scribat de sensu siue experientia propria, rem narret quoad omnes circumstantias.

Poterit experientiam propriam, cum ea, quam alii instituerunt, conferre maioris & declarationis & confirmationis gratia.

21. Si vero scribendi materia ad iudicium magis pertineat, scribendum est ex cerebro proprio non alieno.

22. Hinc allegatio Autorum, qui idem sentiunt, superflua est, & impedit saepius, quam iuuat, animi meditationes.

23. Poterit tamen & hoc quandoque existere proficuum: valet enim & hic, quod Practici dicunt: superflua non nocere.

24. Saepe enim aliquid dandum est genio seculi, & opinioni hominum praeiudiciis adhuc laborantium.

25. De caetero libri in tot diuiduntur classes, quod eruditionis constitutae sunt species.

26. Ratione methodi diuersimode etiam differunt: alii enim continuo sermone, alii quaestionibus & responsionibus delectantur, alii thesibus & ecthesibus, alii aphorismis vtuntur.

27. Alii quoque annotationibus, alii commentariis, alii obseruationibus magis delectantur. 28. Mi-

28. Mihi perinde est, cum de gustibus non sit disputandum: quaeuis commoditas sua & habet incommoda.

29. Quomodo singularis harum procedat methodus norunt eruditi: itaque nostris illud sat commode oretenus declarari poterit.

30. Etenim & haecce in eum vsum tantum consignare placuit, vt ansa suppeditetur discursibus, quibus Auditores nostros in rem litterariam communem introducere studebimus.

31. Eandem ob rationem non adduntur quoque prudentiae regulae circa seligendam materiam, constituendum titulum, instituendam partitionem, praemittendas praefationes & dedicationes, quae aliunde satis nota sunt.

De vsu abusuque & structura monebimus in praelectionibus.

CAP. XI.

De

Arte disputandi & confutandi.

I.

Ltimus veritatem communicandi cum aliis modus est Errorum confutatio & veritatis contra eosdem vindicatio:

tio: quas vno verbo Disputationem vocare licebit.

2. Est haec curatior duarum propositionum sibi inuicem contradicentium vel oppositarum cum fundamentis suis instituta collatio, vt quaenam prae altera verior sit vel probabilis, elucescat.

3. Atque ex hoc fine, in quo disputantes conuenire, praesumi volunt, sequitur 1. disceptationem debere esse amicam. 2. modestam. 3. veritatis studiosam.

4. His quoad voluntatem suppositis in intellectu eorundem requiritur: (α) vt quilibet alterum rite intelligat (β) vt quilibet rationes dissensus sui habeat.

5. Quomodo enim opiniones conferent, quas non capiunt: & quomodo disputationi aptus esset, qui tantum pertinaciae suae opinando litat?

6. Itaque requiritur in vtroque (α) methodus generalis cognoscendi verum. (β) habitus interpretandi sensa aliorum. (γ) ars tradendi & exponendi animi sensa clare distincte & neruose.

7. Quantum ad disputationem ipsam attinet, necesse est, vt is qui confutare falsum aggreditur, noscat atque intelligat 1. thesin, quae ipsi cum veritate pugnare videtur.

8. Requiritur 2. vt intelligat praetensum theseos istius fundamentum, quod primario

mario impugnandum est, vt inaedificata sponte corruant.

9. Dehinc 3. vt recte contradicat, & statum controuersiae debito modo formet, ne in cassum militantes appareant, & aerem feriendo tempus consumant.

10. Item vt 4. disputet de propositionibus euidentia destitutis, dum enim disputamus quaerimus euidentiam: qui itaque contra euidentia disputat fine, quem superius posuimus fundaminis loco, destituitur: & hactenus recte dicitur: contra negantem principia non esse disputandum.

11. Tandem 5. non disputandum est, de veritatibus, quarum non datur utilitas nec vllum est momentum.

12. Imo & hoc addo 6. non disputandum esse de singularibus quae propria experientia cuilibet constant: harum enim non est demonstratio sed ostensio: demonstrando autem omnis disputationis neruus absoluitur.

13. Omnis autem disputatio est, accurata & analytica, vel minus accurata & dialectica. *Illa* veritatis diiudicandae causa, *haec* ingenii exercendi gratia instituitur: vtraque vsibus suis non caret, quamuis illa disputantium vitio saepe suis defraudetur.

14. Vtraque aliquando oretenus mistis colloquiis, aliquando scriptis libris & con-

trouertendo instituitur. quae praestet prae altera, disputari potest: nos primo agemus de priori.

15. Modus eam instituendi variat, de quo videri potest eruditum IO. ANDR. SCHMIDII de processibus disputandi programma olim Ienae editum.

16. Communior interim & receptissimus disputationum instituendarum processus syllogismis vtitur, quamuis & methodus quaestionaria & megarica, de quibus inf. laude non careant.

communem disputandi processum tradunt optime B. IACOBVS THOMASIVS in app. logic. erotemat. de methodo disputandi, & Dn. D. BOEHMER in processu disputatorio iuridico. conf. TITIVS in art. cog.

17. Circa hoc negotium conueniunt Respondentis siue defendentis, & Opponentis, qui illius theses impugnat personae, quibus accedit Praeses qui tamen cum persona Respondentis hactenus coincidit.

18. Opponens regulariter incipit contradicere, itaque partes eius priores sunt: hic itaque 1. eligat thesin ad oppugnandum aptam.

19. Huic 2. vt recte contradicat, opponat antithesin, iisdem constantem terminis.

20. Inde 3. producat argumentum forma syllogistica breue, perspicuum, & regulis bonae ratiocinationis conforme.

21. Hoc 4. si postuletur tum quoad maiorem, tum quoad minorem propositionem nouis argumentis demonstret, donec res redeat ad euidentiam.

22. Maior propositio regulariter ex ideis vniuersalibus probabitur: minoris subsumtio magis redibit ad singularia.

23. Si 5. allata fuerit responsione apte excipiat, ostendendo quantum responsio antithesin infirmet vel non.

24. Respondens contra (α) Opponentis antithesin repetat distincte, & si minus recte se habeat, animaduertat contradictionem tantum apparentem.

25. Inde (β) si haec recte se habeat, assumat argumentum, idque iisdem in terminis repetat.

26. Post (γ) addat responsionem negando primo propositionis maioris post minoris veritatem.

27. De hinc (δ) prolatam assumat probationem eiusque vniuersalitatem infringet instantia, vel determinabit limitatione, vel alterius neget.

28. Tan-

28. Tandem (e) Exceptiones eodem modo assumat, repetat, & quantum contrarientur vel non, ostendat. quae omnia deinceps repetitis vicibus se iterum inuicem insequentur.

29. Methodus disputandi megarica praecipue vsum in oppugnando habet: etenim illa ex thesi oppugnanda elicit consequentias & ab harum falsitate ad falsitatem principii, vnde emanarunt, argumentatur.

30. Leges autem consequentiarum deducendarum non sint aliae, ac illae, quas superius de demonstratione & via cogitandi synthetice tradidimus, ideoque vlteriori declaratione supersedere poterimus. vid. interim iam laudata Dn. M. GVNTHERI ConRectoris Ilfeldensis *dissertatio Ienae de methodo disputandi megarico habita.*

31. Ab hac non multum differt methodus disceptandi socratica, quae quaestionibus vtitur, quam commendant ac illustrant *D. THOMASIVS* in der Ausübung der Vernunft-Lehre/ *cap. V. & IO. CLERICVS Logic. part. IV. c. IX.* exempla habes ap. *XENOPHONTEM in memorabilibus Socratis.*

32. Regulas eius has tradit CLERICVS: I. ita te gere, quasi ab eo, quo tum res tibi est, velles id, de quo certatur, discere.

33. II. Oportet de verbis obscuris interrogationem rogare.

34. De hinc III. quaerendum est de omnibus doctrinae partibus, earumque consectariis.

35. Et sic pergendum est, donec Respondens sibimet ipsi contradicere cogatur: qui vero, si iusta causa vtitur, sine omni regula se defendet.

36. Interim vt credo palam est: 1. in disputantibus requiri accuratam materiae, de qua disceptatur, notitiam. 2. summam in quaerendo & respondendo attentionem: 3. hanc methodum & esse facillimam (his scilicet suppositis) & falsitati ostendendae aptissimam.

37. Nunc ad controuersias eruditorum quae scriptis agitari solent. Sed prudentia circa has magnam partem ex generalibus huius capitis pendet, & de caetero est arbitraria.

38. Notetur modo 1. in confutando necessariam esse detectionem primi falsi.

39. Hoc detecto 2. ostende illius falsitatem vel a priori vel a posteriori: hoc est vel demonstra: illud cum primo principio communi non connecti, vel ostende: conclusiones falsas inde deduci posse. De vtraque via vid. *Dn. THOMASIVS* in der Vernunfft-Lehre. *Part. II. c. 5.*

40. De-

40. Dehinc 3. non nocebit etiam ostendisse veritatem tuae sententiae; cum a falsitate vnius theseos ad veritatem alterius non semper argumentari liceat.

41. Vnde his maxime prudentia controuertendi erudite absolui videtur: I. historica theseos, quae disceptatur, recensione. II. momento & vtilitate controuersiae. III. accurata status controuersiae formatione. IV. falsorum fundamentorum confutatione. V. theseos verae, oppositae sufficienti declaratione. VI. vtilium consectariorum annotatione.

42. Plura non addo quantum enim credo, haec sufficient, vt si qui mea hoc in negotio opera vti velint, illi ad veram intellectus sui cognitionem, emendationem, atque vsum manuduci queant: de quo & ipsis & mihi licebit gratulari.

LIBER PRIMVS

De

Conceptibus logicis communibus.

LIBER SECVNDVS

De

Negotiis logicis specialibus.

Cap.

ACCESSIT

DISSERTATIO

De

Praecipuis sapientiae impedimentis.

INDEX
Rerum & Verborum.

AD DELINEATIONEM PHILOSOPHIAE RATIONALIS.

E. G.

A.

M C. Ca-

C.

D.

E.

F.

H.

I.

M.

N.

O.

P.

Veri-

ERRATA

Vt beneuolus lector corrigat roga-mus. exstantiora nobis hæc visa sunt.

In præf. pro recordo l. recordor.

p. 4. lin. 5. pro conditionem l. eruditionem p. 20. lin. 19. pro verbis l. verbis. p. 90. l. 31. pro copora l. corpora. p. 102. l. 1. pro perpendent l. perpendeant. p. 103. l. 23. pro 1205. l. 1705. p. 136. lin. 21 del. vel ingenii vires exerceat. p. 136. l. 11. pro amalis l. a malis. p. 154. l. 8. pro nocent l. docent. ibid. lin. 9. pro hæc l. & p. 159. lin. 12. pro facilet l. faciet.